


Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani


12269

12269. v. c. g.

V

12269





PRACTICUM
CHRISTIANÆ
PERFECTIONIS
COMPENDIUM

In Strenam oblatum

D. D.

SODALIBUS

Congregatis sub Titulo

B. MARIAE
VIRGINIS

In Cœlos

ASSUMPTÆ

In

Archи- Ducali Soc. JESU

Collegio Labacensi.

Anno M. DCC. XLI.

LABACI,

*Apis Adami Frid. Reichhardt,
Inclyt. Prov. Carn. Typ.*



030030844




PRÆFATIO
AD LECTOREM
PERFECTIONIS
CHRISTIANÆ
STUDIOSUM.

A Scetarum solemne & verum est placitum: *Vive ut pauci*: perfecta enim vita, *Vita paucorum* est. Fallitur, qui hanc vitæ laudabilem & perfectam singularitatem ex admirandis & vulgo coticis metiri solùm rovit actionis.

Communia, ordinaria, quotidiana bene, ordinatè, & singulari-

cum industria peragere , hoc tandem est perfectè vivere : ejusmodi practicas industrias tibi Christianæ perfectionis Studiose Lector brevissimè proponimus ; addere , vel demere facile hinc licebit , si quid minus , vel si aliud placuerit . Fusiùs & exactiùs id tibi suppeditabit Christianus Mayer in Enchiridio Industriarum ; cuius ordinem , ut plurimùm secuti sumus , dum primò quotidianas , dein hebdomadarias , & menstruas actiones potiores , ac tandem extemporaneas , adumbramus ; plerisque industriis suas praxes subnectimus . *Hoc fac , & vives .* Luc . 10.



IN-



INDUSTRIA I.

*Pro quovis opere perfectè
peragendo.*

DE omnibus & singulis actionibus id tibi Eccl. 33. dictum existimat; in omnibus operibus tuis præcellens esto.

Hoc ut obtineas, ad tria in quovis opere perfectè conficiendo collimandum.

1. Ut opus ipsum ex sua natura & objecto bonum sit, vel certè non malum , qualia potissimum sunt , quæ professioni , instituto, officio , &c. conformia sunt.

2. Ut bono fine fiat, & per bonam intentionem potissimum coherestetur ; cuiusmodi est DEL gloria , honor, beneplacitum, virtutis ipsius honestas, proximi ædificatione, &c.

3. Ut quoad modum & requisi-
tas circumstantias suam quoq; in-
tegritatem habeat : dum ex parte
intellectus adhibetur debita atten-
tio , & circumspetio ; ex parte
voluntatis continuata vel certè
non interrupta bona intentio , ac
prompta devotio , immixtis quan-
doque piis affectibus & desideriis ;
ex parte reliquarum facultatum
animæ & corporis seria applicatio
ac conatus , ut omnem tam exter-
nam , quam internam perfectionem
opus illud sortiatur.

Excita igitur ante quamvis actio-
nem desiderium perfectè eam adim-
plendi , propositâ simul idæâ aliquâ ,
prout fieri optares. Forma dein
tibi bonam intentionem , unam
vel alteram , quæ sit scopus actio-
nis , qui potissimum esse debet DEI
gloria & propria actionis illius ho-
nestas. Demum brevi saltem , 110
ad DEUM affectu imploranda &
Divina Gratia , ut rectè fiat.

In ipso opere cavebis, ne ad alia
mens evagetur, sed dictum tibi cre-
de, *age, quod agis.* Curabis, ut suum
cuique tempus tribuatur integrè,
non differendo, non deproperan-
do, nec satis habe ad externam
tantùm superficiem & ad humanos
oculos fallendos id solùm peragere:
sed ita coram DEO perage, ut ex-
teriorius, interiùsque dignum sit,
quod DEO offerre audeas.

Post opus brevem aliquam refle-
xionem & examen instituere lice-
bit, ut, si bene peractum, DEO to-
tius boni unico fonti adscribas, &
gratias agas; sin male, doleas cum
proposito aliàs emendandi. De-
mum omnem conatum æterno Pa-
tri offer in unionem meritorum Fi-
lij sui, & ejusdem S. Matris ac alio-
rum Sanctorum.

INDUSTRIA II.

De Modo manè surgendi.

UT in aliis, ita vel maximè pro totius diei sequentibus actionibus tritum id habere locum, die bene cepto tibi persuadeas: *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.* Certè Propheta David passim nil frequentius verbo & exemplo inculcat, quām ut diluculo, manè, in matutinis veniamus, vigilemus, revertamur, &c. ad Dominum; sicut econtra dæmon nil ferè potius habet, quām ut servos DEI manè evigilantes statim importunis occupet curis & phantasiis. Ut igitur primicias cogitationum & desideriorum tuorum DEO ritè offeras, & hanc primam diei actionem perfectè ordiaris, hic ferè modus esse potest.

1. Tempore rectè præstituto fœmora surgendum, juxta id Eccl. 2.
Hora surgendi ne te trices.

2. Ex-

2. Excitabis in te desiderium hunc diem singularis beneficij loco à DEO tibi indultum religiosè impendendi, ab omni peccato, maximè eo, de quo facis examen particulare, declinandi, & virtutem contraria-
m toties exercendi; omnes actiones præsertim eas, quæ ad DEI cul-
tum, & bonum animæ pertinent, ritè ac devotè obeundi.

3. Facto S. Crucis signo men-
tem per varios affectus & actus maxi-
mè Fidei, Spei, Charitatis, gratia-
rum actionis & oblationis ad DEum
elevabis, nam *qui vigilaverint ad
illum, invenient benedictionem*: Eccl.
32 fieri id potest, dum decenter &
verecundè vestiris.

4. Vestitus vel in Oratorio tuo,
vel si occasio est, coram Venerab.
Sacramento preces matutinas ad
DEUM, B. V. S. Angelum Custo-
dei, & alios Patronos recitabis.

5. Facies generalem Intentio-
nem & oblationem pro omnibus

totius diei actionibus, elesto pro singulis hebdomadæ diebus certo Patrono, & designatâ certâ gratiâ, pro qua tibi impetranda actiones omnes ejus diei oblatas cupias: designatis itidem certis Personarum generibus, pro quibus speciatim eadem applicare velis, ut infrâ in praxi 2. ostendetur.

6. Quod reliquum est temporis, præparationi ad meditationem impendes.

INDUSTRIA III.

De Meditatione.

Cùm Christiana pietas sine consideratione Divinorum, & rerum humanarum agendarum diu subsistere nequeat, quin potius vix solidiori & efficaciiori medio incandescat, juxta id Psalm. 36. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis: rectissime omnino hora vel certè dimidia (p.*

ratione statūs & occupationum)
impeditur ejusmodi piarum re-
rum meditationi, & quidem mox
manè, tum quòd tempus hoc per
se aptius est, utpote minùs aliis
occupationibus impeditum: tum
quòd homo ibi sereniorem adhuc
& ab aliis curis vacuam mentem
habeat: tum quòd sibi vigorem pro
omnibus reliquis actionibus à DEo
impetrare mox poterit. Ad hanc
rectè instituendam sequentia juva-
bunt.

1. Pridie antequam cubitum eas,
materiam ex libro aliquo vel aliun-
de tibi præparabis, eam in certa
puncta bene & ordinatè digerendo.
Hanc tam cùm cubitum ivisti, quàm
cùm manè surgis cum pio & con-
gruo affectu, desideriōque in me-
moriam revocabis; & si opus fue-
rit, manè rursus puncta releges.

2. Antequam meditationem ag-
gradiaris, uno vel altero passu di-
ctans ab orationis loco præsentem,

& quid modò acturus sis, inspe-
ctantem DEUM imaginaberis.

3. Auditâ orationis horâ cum
reverentia tam exteriore, quam in-
teriorē auspicaberis ab oratiuncula
quadam, qua te tuáque omnia in
DEI beneplacitum offeras.

4. Unum, duo, vel tria præludia
brevissimè tamen facies; quorum
1. est summaria quædam repetitio
punctorum considerandorum. 2.
Imaginatio loci vel alia similitudo
congruens materiæ meditationis.
3. Petitio gratiæ, ut ex hac medita-
tione competentem fructum hau-
rias.

5. Unum post alterum punctum
attentè leges, vel in memoriam re-
vocabis, eique morosius (dum
omnino satisfiat, licet alia puncta
omnino non attingerentur) inhæ-
rens, varias exinde ratiocinationes
formabis, per considerationem cir-
cumstantiarum maximè; & exinde
varias veritates circa res agendas,

vel

vel fugiendas elicies, quibus ulte-
riùs insistendo, & potissimum quo-
modo se alij, & præsertim Sancti,
Sanctorumque Dominus Christus
in hoc vel illo gesserint, cum bonis
affectibus admirationis, gratitudi-
nis, amoris, &c. discuties, ac tan-
dem te, tuaque gesta hoc in genere
in examen vocabis cum variis de-
nuò affectibus, doloris, humilita-
tis, propositi, petitionis gratiæ, &c.

6. Meditationi varia colloquia
ad DEUM & Sanctos inferentur,
maximè autem sub finem, prout
affectus dictaverit.

7. Erit perutile, si de veritate
fidei, quam in meditatione expen-
dis, sequentia ex te ipso quæras.
1. Quid, & cur, de ejusmodi Ve-
ritate credere debeas? 2. Quid ex
ea discas? 3. Propter quas causas
& motiva similem doctrinam susci-
pere debeas? 4. Quomodo hanc
usque ad hoc tempus observaveris?
5. Quomodo in futurum eandem
ob-

observabis in determinatis circumstantiis personæ, loci, temporis, negotij, præsertim hodie, ante & post meridiem? 6. Quæ te ab observatione impediverint; & quæ media ad eandem deinceps juvare possint? In singulis his quæfitis miscebis congruos affectus, subinde firma, & maximè particularia proposita facies.

8. Post meditationem te nonnihil reflectes de successu, & quæ lumina, quos affectus, quæ proposita inde conceperis, annotabis etiam quandoque scripto, breviter tamen, & si singularia fuerint.

INDUSTRIA IV.

De Sacrificio Missæ.

SI eam, quam meretur, æstimationem haberetis de hoc sacrificio, primam & præcipuam curam utique impenderes, ut quotidie & dignè eidem assisteres. Est enim

tale hoc **Sacrificium**, ad quod reliqua antiquæ legis non aliter se habent , quām ut umbra ad corpus , ut facula ad solem , ut rivulus ad fontem , ut typus ad prototypum . Continet quoque in se eminenter omnes aliorum sacrificiorum prærogativas. Est 1. namque sacrificium Latreuticum , quo solo summus & dignus DEO cultus exhibetur. Est 2. rememorativum Passionis & mortis Domini, illiusque cruenti Sacrificij multò meliori modo,quām illum aliud. 3. Est sacrificium Eucharisticum , quo dignas DEO gratiarum actiones referimus pro collatis beneficiis. 4. Est sacrificium propitiatorium , quo venia peccatorum obtinetur , & debitæ pro iis pœnæ , & quidem ex opere operato dimituntur. 5. Est denique sacrificium pacificum, seu impetratorum omnium donorum, ac beneficiorum naturæ & gratiæ.

Tam offerens principalis, quām ipsa hostia sunt omnino valoris infiniti, cūm sint ipse Christus Dominus, unde non potest non esse DEO Patri semper acceptissimum, per quemcunq; Sacerdotem offeratur. Ut porrò etiam tibi sit semper fru-
etuosissimum, hæc observabis.

1. Ante celebrationem vel auditionem Missæ recolantur illi quinque fines instituti sacrificij hujus, ut postea in praxi 4. ostendetur.

2. Dum sacræ vestes induuntur à Sacerdote, convenientes affectus elicere convenit, quod etiam toto Missæ decursu optimè fieret. Cūm enim hæc sit repræsentatio totius Vitæ & Passionis Domini, nil melius & accommodatiùs assumetur, quām ejusmodi Mysteriorum affectuosa consideratio. Possunt tamen nihilominus aliæ etiam orationes vocales consuetæ sub audiendo lacro persolvi. Explicatio
par-

partium Missæ & Cæremoniarum intelligentia in aliis libris passim habetur.

3. Sub utroque Memento, vel etiam circa Elevationem orabis pro omnis statūs & conditionis hominibus, includens quasi omnes & singulos sub SS. Christi Vulneribus. Sub dextræ vulnere Ecclesiam & omnes Ecclesiasticos: sub sinistræ, Imperatorem, Principes Christianos, & omnes status ac magistratus sacerulares: Sub dextri pedis S. Vulnera, tuæ Congregationis homines; sub sinistri, Parentes tuos, Consanguineos, Benefactores, amicos, ac tuæ curæ specialiter commissos; sub Lateris Christi te, ac tuas necessitates Christo commendare licebit. Similis modus erga varios defunctos observari poterit in Memento post Elevacionem.

4. Communicabis semper Spiritu aliter per elicitos actus, maxime

mè Fidei, Spei, & Charitatis, &c.
juxta formulam praxi 4. indican-
dam.

INDUSTRIA V.

De Oratione Vocali.

SUb hanc veniunt Horæ Cano-
nicæ, recitatio Rosarij, Lita-
niæ, Officium B. V. vel aliæ preces
debitæ vel spontaneæ , quas cùm
psallere sapienter jubearis Psal. 66.
ne annumereris populo illi, qui la-
bii s̄ solis DEUM honorat, corde lon-
gè ab eo diffito , omnino curan-
dum, ut attentè, devotèque fiant ,

1. Igitur ante quamvis oratio-
nem vocalem animum tuum non-
nihil colliges, & Præsentia Divinæ
memoriâ ad DEUM levabis , for-
mando tum bonam intentionem
DEI colendi , & tibi vel aliis hæc
vel illa dona impetrandi ; tum gra-
tiam breviter petendo.

2. Tempus & locus opportunu-

sc.

eligatur orationi, & fiat cum decentia non tantum interior, sed etiam exterior corporis, qualis est genuflexio, elevatio manuum, aspectus piæ imaginis, coram qua oretur.

3. Non deproperabis orationem, sed integrè & graviter verba sunt pronuncianda, absque tamen molesta apud alios mussitatione.

4. Procurare omnibus modis ex parte intellectus fatigates attentionem vel ad ipsa orationis verba, vel ad aliud pium & congruens mysterium: ex parte verò voluntatis devotionem per varios pios affectus.

5. Post peractam longiorem præsertim orationem sequatur brevis reflexio, & petitio veniæ ob defectus.

INDUSTRIA VI.

De Lectione Spirituali.

Qui juxta S. Ambros. l. 1. Of. fic. c. 20. DEUM alloquimur, cùm oramus; illum verò audimus, cùm legimus Divina Oracula: & verò non minor sæpè fructus ex lectione, quàm ex ipsa oratione sequitur; idcirco huic quoque exercitio quotidie aliquid temporis impendes saltem quadrantem vel medium horam. Ut verò utiliter fiat:

1. Mentem collectam & ad DEUM elevatam afferes, dum legere incipis, implorato auxilio Divino brevi aliquâ jaculatoriâ prece.

3. Lectio librorum sit cum selec-
tione: ditigi enim debet ad propriam suæ perfectionis utilitatem; & si legi ceptus est liber utilis, non ad alium est transeundum, priusquam hic absolutus sit.

3. Non est deproperata lectio
ex

ex curiositate multa simul sciendi, sed ei tardè ac morosè insisterendum, præsertim si ad praxim aliquid occurrit.

4. Immiscendi sunt lectioni varij affectus pij, & universim non tam scientia, quām utilitas spirituālis propria semper exinde est procuranda.

5. Concludatur brevi oratione ad DEUM, ut lecta serves, & adimplas, pro quo juverit quædam, pauca tamen & cum selectu quan-dóque annotare.

INDUSTRIA VII.

De Studiis, vel aliis Occupationibus.

PRæter allata hactenus exercitia, quæ ex objecto suo sunt per se pia, sunt & alia, quæ vocantur adiaphora, necessariò tamen quan-doque exercenda tam à seculari-bus, quæ a Religiosis: quales sunt

labores ingenij in litterarum aut etiam causarum dicendarum studio, & aliæ occupationes tum privatae, tum publicæ, quæ si ritè fiant, non minùs cum ingenti proprio merito, & proximi emolumento instituuntur.

1. Omnibus igitur laboriburs, studiis, & occupationibus tuis tum privatis tum publicis, præter bonam intentionem, & orationem (qualis est, vel *Actiones nostras, quæsumus*: vel *Veni Creator Spiritus*, vel alia infrà praxi septima assignanda) conductit præmeditari, quomodo bene, decenterque peragi possint, ac debeant.

2. Impendi debet tempus diligenter, & integrè, cum seria animi & corporis applicatione, posthabito omni fastidio & difficultate ad quoscunque labores, & alias debitas, ratione statūs vel officij, occupationes.

3. Elevanda mens qu. idoque ad

ad DEUM, maximè cùm difficultas
oritur, vel labor caret successu, pe-
tendo Divinum auxilium, vel in-
vocando Angelum proprium, aut
ejus, cum quo agitur.

4. Post successum aliquem cuius-
cunque operis agantur DEO gra-
tiæ, cum aliqua reflexione, an nihil
sit prætermissum.

INDUSTRIA VIII.

De Examine particulari.

LIcet examen generale à multis,
præsertim Religiosis, bis in-
terdiu fieri laudabiliter soleat, hic
tamen solum examinis particularis
ratio præscribetur, examinis gene-
ralis faciendi declaratione reserva-
tâ ad industriam II. unde peti po-
test. Cæterum examen particula-
re meritò efficacissimis mediis ad
extirpandum quodvis vitium, vel
implantandam virtutem ac imera-
& aliud est, quam specialis
qua-

quædam diligentia circa unam aliquam rem: uti enim pluribus intentus minor est ad singula sensus; ita sollicita unius cura solet esse perquam efficax & certa.

Pro materia hujus examinis sumetur vel vitium & defectus eradicandus, vel virtus introducenda, cum selectu tamen, ita ut ea prius sumantur, quæ magis negotium facessunt ex speciali quadam necessitate vel inclinatione, ex qua tamen plurimum pendeat ad profectum, vel defectum in perfectione.

Selectâ tali materiâ 1. propositum manè faciendum cum petitione gratiæ ad evitandum hunc defectum, vel exercendam toties hanc virtutem.

2. Hoc propositum interdiu quandoque renovandum, & si quis Iapsus contigit, tensione pectoris vel alio signo, quod alij tamen præsentes non notent, dolor est elicendus.

ali- 3. Examen instituendum ante
in- vel post prandium petito prius Di-
us; vino Lumine, quoties lapsus sit:
esse & numerum cum dolore & propo-
fido novo annotabit.

su- 4. Idem examen fiet noctu an-
adi- te somnum, collato simul defe-
da, etuum numero cum primis tem-
rius poris antemeridiani lapsibus. Ta-
fa- lis collatio etiam fiet die sequenti
ssi- cum priore, & sic deinceps, ut ap-
nen pareat profectus vel defectus.

m, 5. De singulis lapsibus præter
dolorem etiam pœnitentiam ali-
os- quam spontaneam superaddere,
io- perquām conducit.

INDUSTRIA IX.

De Refectione Corporis.

AD hanc S. Bernardus tanquam
ad tormentum, S. Augustinus
tanquam medicamenta sumpturus
accessit non sine timore; *uis enim
se Domi*, inquit l. 10. Confes-

c. 3. qui non rapiatur extra metas
necessitatis? quisquis est, magnificet
nomen tuum, ego autem non sum:
quia homo peccator sum. Non im-
merito proin hæc actio pluribus
cautelis opus habet, ut honestè
peragatur.

1. Plurimum juvat bonam inten-
tionem præmittere, protestando,
quod non voluptatis, sed decentis
necessitatis rationem habere velis,
& reficere corpus, ut anima DEO
alacrius servire dein iterum possit.

2. Devota oratio seu benedi-
ctio præcedat, & gratiarum actio
subsequatur.

3. Caveatur intemperantia, quæ
vel in quantitate, vel qualitate, vel
modo seu nimia in cibos effusione
& aviditate committi potest.

4. Nulla refectione abeat sine ali-
qua appetitus sensualis mortifica-
tione.

5. Se vetus decency non tan-
tum interior, sed & exterior sen-
tium,

suum, & maximè in modo comedendi.

6. Animus quoque reficiatur piâ vel lectione, vel colloquio honesto, vel piis etiam quandoque cogitationibus, affectibûsque.

INDUSTRIA X.

De Recreatione, seu Relaxatione Corporis.

UTi arcus semper intentus frangitur, sic & animus, nisi quandoque à seriis nonnihil ferietur. Netamen simul, quod facilè fit maximè post cibum omnino per nimiam effusionem defrænetur, periculum est. Hoc ne fiat;

1. Collectâ post gratiarum actionem mente fines instituendæ relaxationis nonnihil utiliter ruminabuntur, qui sunt quoad Corpus & Animam per relaxationem aliquam hæc iestam vires integras resumere ad alacrius dein tenuò

DEO serviendum; charitatem & amicitiam mutuam per amica ejusmodi colloquia conservare & perficere; ex mutuo plurium colloquio variarum rerum haurire eruditionem; demum practicè doceri modum rectè conversandi etiam cum extraneis. Conandum proin, ut hos fructus ex recreatione capiam, pro quo factâ bonâ intentione petenda à DEO gratia.

2. Cum indifferentia ad socios relaxatio & colloquium instituendum.

3. Cavenda nimia effusio & quævis inconsideratio loquendi, & universim omnia linguae vitia, maximè detractio, japhantia, contentio, clamositas, interpellatio alterius sermonis & similia.

4. Apparere debet tam in verbis, quam actionibus, ac ipso modo loquendi in vultu, gestu, incessu modesti, humilitas, affabilitas ac prudens maturitas, ut non tantum infusa

ipfa materia, sed & modus collo-
quij ædificet.

5. Elapso relaxationis tempo-
re mox conticescendum, animus-
que denuò ad seria colligendus, ac
visitatione Ven. Sacramenti (quod
quidem pro occasione loci & tem-
poris utilissimè aliquot per diem
vicibus fieret) intentio matutina
pro reliquis diei actionibus reno-
vanda; elicitis simul variis piis af-
fectibus, maximè Fidei, Adoratio-
nis, Spei, Charitatis, vel recitatis
ibidem aliis consuetis orationibus
vocalibus.

INDUSTRIA XI. *De Examine nocturno, & precibus nocturnis.*

Cùm in actionibus pomeridianis
vix distinxæ ab hactenus re-
censitis occurrant, ultima diei actio
iuperest examen scilicet noctur-
num, q' id ob singularem utilita-

tem nunquam omittendum: continet enim plurimarum virtutum actus, præsertim gratitudinis, humilitatis, & cognitionis sui, Contritionis, Spei, Amoris DEI, boni propositi, quæ hominem cum DEO reconciliant, si forte per diem gratia Divina amissa per peccatum grave fuisset.

Facto examine generali & particulari juxta formam infra praxi-
xi. declarandam, sequuntur preces nocturnæ ad DEUM, B. V. S.
Angelum Custodem, & Santos Patronos.

Fit honesta, & decens ad quietem compositio, & ante somnum mens piis, & affectuosis se occupat cogitationibus, revocata in memoriam subsequentis diei materiam meditationis, vel facta brevi ad bonam mortem præparatione.

INDUSTRIA XII.

*De Distributione totius
diurni temporis.*

Nil ad evitandum otium, nil ad impendendum rectè integrè que tempus, quo nil pretiosius, nil ad constantem propositorum executionem efficacius inter humana ferè est, quām bona singularum diei horarum & occupationum digestio, distributioque, à qua sine urgenti causa non recedatur. Expedit proin à quovis talem ordinem haberi, & quoad fieri potest observari. Pro varietate personarum & occupationū unus esse non potest, & non raro ab uno etiam est immutandus. Referam hic Paradigmatis loco ordinem illum, quem magnorum munerū, & sanguinis, multoque majoris pietatis Vir sibi constituerat indies sancte observandū, qui facile variari poterat à quo-

vis pro libitu, habita semper statūs
& conditionis suæ debita ratione.

1. Manè horâ constitutâ excita-
tus surge, ac mente statim in DE-
UM elevata inter pias cogitationes,
& sanctas animi aspirationes indue-
te. Inde genuflexus ante Oratoriū
persolve consuetas matutinas pre-
ces, & prostratus corde tuo ante
crucifixum DEUM pete ab eo be-
nitionem, qua munitus quodam-
modo, & armatus contra omnes in-
sidias visibilium & invisibilium ini-
micorum tuorum, eò constantius
persistere possis in vera via salutis.
Si fortè jam datum fuisset signum
matutinæ salutationis Angelicæ,
saluta Beatam Virginem triplici
Ave Maria.

2. Relege, aut mente revolve
materiam, quam tibi pro medi-
tatione jam vespere antecedenti
præparâst', & in certa puncta di-
stribuisti

3. Accede loco à do. estico-
rum

rum turbatione semoto ad meditationem semihoræ minimum, magnō in te priùs desideriō excitatō optatum ex ea , pro bono animæ tuæ, fructum referendi.

4. Peracta meditatione inquire de successu , & quid in ea pro tuo in spiritu profectu cognoveris. Si bene cessere omnia, refer DEO laudes ; si minūs , vide , an culpâ tuâ ? & deprecare: si nullâ culpâ, offer te humillimè DEO tuo cum proposito eidem etiam in ariditate Spiritûs , & desolationibus animi quam constantissimè serviendi.

5. Quæ tibi DEUS pro sui gloria & Spiritûs tui bono cognoscenda dedit , & quæ ipse tibi in hunc finem exequenda proposuisti , refer brevissimè in libellum aliquem, ne forte memoria hæc sancta lumina & proposita elabantur, atque etiam de iis conferre possis cum tuo Patre spiritali, ab eoque in usu tam sancti exercitij, si opus sit, d. igi, tu

verò simul etiam, ea interdum re-legendo crescere in amore DEI tui, qui tantas cælestium lumen, & veritatum gratias in te imerentem tam copiosè dignatus est effundere.

6. Vocales deinde, quas in more habes, preces persolve; his persolutis cura, ut, antequam te ad alia agenda conferas, modico saltem tempore, consideratè tamen, spirituale quid legas, aut ex Thoma de Kempis, aut alio libello sancto.

7. Post hæc quæ privata sunt Domus tuæ, dispone breviter, ab his ad publica te confer, semper in omnibus spectando Divinam gloriam, commune bonum, & conscientiæ tuæ securitatem.

8. Singulis diebus ante, vel post publica negotia, Sancto Missæ Sacrificio devotè audiendo intersis, summæque duc tibi gratiæ, & felicitati, quod DEUM tuum, Dominum, ac Salvatorem præserem possis quæ die venerari, & acorare.

9. Antequam loco sacri auditio
discedas, exquire parumper, quæ,
& quomodo te à manè ad illud
tempus gesseris : si bene, DEUM
lauda ; si malè, deprecare. Coimen-
dando te singulariter precibus eo-
rum Sanctorum, quorum imagines,
Reliquiæ, & altaria eō loco haben-
tur in veneratione.

10. Sume prandium debita mo-
deratione , nec ita totus in cibos
abripiaris , ut non interdum bonæ
alicui cogitationi , aut colloquio
locum des , & occasionem capias
exercendæ temperantiæ, aut etiam
mortificationis à magis sapidis sub-
inde abstinendo , memor in refe-
tione corporis non tam volupta-
tis , quam necessitatis habendam
rationem.

11. Sumptuō prandiō, vel collo-
quiō, vel alia animi honesta relaxa-
tione te recrea aliquanto tempore.

12. I ursus ad curan 'a , quæ
Domus uæ sunt , te conve. te, at-

que ab his deinde ad publica: à quibus si vaces , occupa te lectione alicujus libri, vel de Vitis Sanctorū, vel alterius , qui magis conveniat statui , conditioni , ac muneribus tuis.

13. Si quæ tibi obeunda sunt charitatis aut humanitatis officia, obi , invocatō prius Divinō auxiliō , ut in similibus, quæ ratio statūs tui , aut muneris postulat , ita semper te geras, ne vel in minimo aut per te, aut per alios DEUS vel proximus tuus offendatur.

13. Signō horæ interdiu auditō invoca brevi oratione , aut aspiratione Deum, & Angelū tuum Tutelarem, petendo gratiā, ut omnia, & singula momenta vitæ tuæ possis ad honorem, & servitium Divinæ Majestatis, juxta sanctissimum illius beneplacitum impendere.

15. It etiam cura , ut brevissimis aspirationibus , & precibus ejaculato ris mentem frequenterius de die,

die, etiam inter negotia, ad superna eleves, quæ plarimùm faciunt ad procurandam Divinam in se benignitatem, & conservandam internam animi in Deum devotionem.

16. In universum denique cura, ut initio cujuscunque non solum boni, ac sancti operis, sed etiam negotij quantumvis sæcularis intentionem tuam ad Deum dirigas, eique singula offerendo petas, ut per te in omnibus sanctissima ejus voluntas, & beneplacitum, compleatur.

17. Sub Vesperum si quæ tibi vel ex obligatione aliqua, vel ex devotione oranda supersunt adhuc ora: deinde si superfit tempus, spirituale quid legas, uti manè.

18. Cænam sume, & post eam te recrea, uti dictum supra de prandio. Postmodum si quæ tibi circa domestica tua, aut tiam alia gravior, seu publica, seu privata, vel à te, vel à tuis ageno occur-

rent in sequentem diem , dispo-
ne.

19. Antequam concedas cubi-
tum , præpara tibi primò mate-
riam , & in sua puncta distribue pro
meditatione sequentis diei. Secun-
dò recita, vel solus , vel convocatâ
totâ familiâ tuâ devotè Litanias B.
Virginis, & alias preces. Tertiò in-
stitue tecum examen generale jux-
ta consueta quinque puncta, refle-
ctendo te singulariter simul ad par-
ticulare. Quartò persolutis solitis
ad DEum, & Cælites nocturnis tuis
commendationibus , venerare ma-
gna devotione, & humilitate pedes
crucifixi tui JESU, & prostratō in
abyssum indignitatis tuæ animo, pe-
te tibi pro futura nocte benedici.

20. Dum exuis te , repeate me-
moriâ, aut materiam meditationis
futuræ, aut ea, quæ ex libro spiri-
tuali didicisti, ut mens tunc sanctis
cogitationibus occupata , iam i-
dem, & adormiat, & evigiet.

Potuissent hæc puncta paucioribus proponi, ied fideliter ex auctore ipso relata, dabunt fidem, nullum hominum statum excludi à Spiritu DEI, qui, ubi vult, spirat, & Beatus, qui ejus vocem audit.



I N D U S T R I A E **HEBDOMADARIÆ,** **VEL MENSTRUÆ.**

Sub his veniunt actiones, quarum si non quotidianus, certè hebdomadarius, vel menstruus usus esse solet. Ejusmodi sunt Confessio, recollectio, & inspectio sui, Communio, auditio Verbi DEI, Cultus festorum & SS. & usus Indulgentiarum. Pro bis procedunt sequentes Industriæ.

INDUSTRIA XIII.

Pro Confessione Sacramentali.

SI Melicus toties accerit tur, nec medicina recusatur, quies vel

modicè afflcta valtudo corporis id exigit : malè profectò cum anima nobiliore hominis parte agitur, quando toties facile, & frequenter etiam lethiferè saucia absque Chirurgo , absque Medico , absque pharmaco in teterrimo peccatorum pedore jacere finitur, cùm tam en , & opportunus Medicus, & medicina salutaris Sacramenti pœnitentiæ semper sint in promptu. Sanè qui hinc quotidiana animæ suæ vulnera, inde verò Sacramenti hujus efficaciam suis momentis libraret, nunquam ultra mensem, imò nec hebdomadem differre pharmaci hujus spiritualis usum sustineret. Tu satage, ut inter eos sis, qui hoc Sacramentum non tantum recipiunt sàpè, sed etiam bene. Quod ut fiat :

Curabis i. vigilem cordis custodiam , profundam tui discussio nem & cognitionem habere per quotidiūnū saltem examen, nec non

non conscientia: teneritudinem in te excitare: hæc enim sunt remota ad Confessionem bonam dispositio.

2. Excitatô desideriô ad hoc Sacramentum cum fructu recipiendum , ante Confessionem per aliquod tempus præmissa oratione , in qua petitur lumen , conscientiam discuties, & peccata breviter, integrè, clarè, & ordinatè annotabis mente, vel scripto.

3. Contritionis actum unâ cum proposito emendationis Confessioni præmittes ardenter, & seriò.

4. Confessarium , qui sine urgenti causa mutandus non est , non ut hominem , sed ut judicem, DEI Judicis vices agentem, agnoscet, veneraberis , & ei te quoad omnia submittes.

5. Petitâ benedictione, versa fac ad imaginem, Confiteor usque ad verba, *mea culpa, &c.* excitabis , tum peccata cum interno dolore expones, & pœnitentiâ acceptâ sub-

absolutione denuo actum contritionis repetes.

6. Post Confessionem agendā **DEO** gratiæ, tum pœnitentiâ, quo ad fieri potest, adimpletâ, novum emendationis propositum formabis, recolens id Joan. 5. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterrius tibi aliquid contingat.*

INDUSTRIA XIV.

Pro Recollectione & Inspectione sui statūs.

UTi prudens œconomus, præter quotidianas dati, & accepti rationes, etiam hebdomodarias, & menstruas sapienter instituit, considerans sollicitè, & conferens impensas cum redditibus, ita sanè ad negotiationem spiritualem (qualis esse debet tota vita nostra juxta Christi: Iuc. 19. *Negotiamini, dum venio*) quantum conducat ejus di genitallior per hebdomadem vel cer-

certè mensem sui profectūs, vel defectūs consideratio , explicari satis vix potest. Expertus sentiet, quantum hoc medium ad perfectam sui cognitionem , ad gratam beneficiorum à DEO acceptorum memoriam, & conservationem , ad spiritū intepescentis resuscitandum fervorem conferat. Hæc recollectio sic fieri potest.

1. Post Confessionem , vel S. Communionem dimidia circiter hora ab aliis occupationibus vacua seligatur. 2. Præmittatur gratiarum actio de acceptis ea hebdomade , vel mense beneficiis, & petitio gratiæ cognoscendi statum animæ suæ. 3. Fiat examen secundum quædam puncta, & quæsita, juxta praxim 14. infrà ponendam. 4. Excitetur dolor & contrito, vel gratiarum actio, prout se male vel bene in hoc vel illo respecterit; considerentur simul, & ex cogitentur apta, & efficacia aedia,

ut neglecta resarciantur, & quæ salubriter facta, conserventur, ac perficiantur. 5. Fiat propositum, & oblatio sui coram DEO unâ cum petitione gratiæ pro sequenti hebdomade, vel mense.

Ad considerandas hoc vel simili modo semitas domûs tuæ, imitare quoad fieri potest, eos, qui non satis habent dimidiam horam quot hebdomadis impendere, sed integrum, vel certè dimidium diem unoquoque mense, triduum quolibet semestri, justum octiduum quovis anno dant huic negotio: serviet eo tempore longius & accuratius examen de rebus, quæ infrà in Industriis extempore raneis ponentur.

INDUSTRIA XV.

Pro Communione Sacramentali.

Appotîte S. Hieronym de S. & sad Beatissimam Virginem com-

comparatis inquit: Cæteris per partes præstatur, Mariæ verò se simul tota infudit plenitudo gratiæ: Ita nunc ego dixerim, cæteris actionibus bonis gratiam per partes dari, animæ verò ad Sacram Divinissimi Sacramenti mensam dignè accumbenti totam se gratiæ plenitudinem infundere, quando se manducanti & bibenti ipse fons, & Author gratiæ communicat. Ut igitur tu quoque salientes aquas in vitam æternam haurias de fontibus Salvatoris, non tantum ut sæpè bibas, sed longè magis ut Corpus & Sanguinem Domini dignè sumas, omnem operam dabis: eaque de causa ante, sub, & post SS. Eucharistiæ perceptionem utilissimè serabis, quæ sequuntur, vel etiam meliora.

i. Ante S. Communionem procuranda potissimum pulitas conscientiæ, non solùm ab omni peccato etiam veniali, sed & q. ~~acutis~~
q. ~~in~~ ordinato affectu.

2. Excitandum c̄esiderium recipiendi dignè , & fructuosè tantum hospitem ; pro quo juverit pridie , & ipso die S. Communionis aliquid legere , v. g. ex lib. 4. de Imit. Christi, aut simili libello, vel etiam de hoc Sacramento meditari. Præmittitur etiam perquām congruè pridie S. Communionis mortificatio aliqua , v. g. jejunium , vel abstinentia , item exactior custodia sensuum , & linguæ , vel aliæ devotiones.

3. Sub sacro , quō communicandum , diligentius observetur modus audiendi sacrum juxta Industr. 4. Et post Elevationem orationi mentali incumbendum , insisterendo variis piis affectibus erga hoc SS. Sacramentum ; ut fidei , reverentiæ , humilitatis , spei , amoris , & vehementis desiderij uniendi se arctissi nè cum Christo Domino qui affectus ex considerationibus , & mōtivis variis excitabuntur , ut

ex dignitate, & maiestate tanti hospitis, ex vilitate sui, ex fructibus, & donis, quæ ex hoc Sacramento hauriri solent. Cum varietate huius affectibus elicentur; Si jam ut filius prodigus erga amantissimum Patrem, jam ut æger ad Medicum, jam ut servus ad Dominum, ut captivus ad Redemptorem, ut mendicus ad opulentissimum, & liberalissimum Regem, jam ut discipulus ad Præceptorem, ut sponsa ad sponsum, eosdem excitaveris.

4. Sub ipsa Communione procuranda tum exterior decens compositio, tum magis interior per ardentes affectus, & aspirationes dehinc te huic Hospiti præsentando & uniendo.

5. Post S. Communionem saltem per quadrantem denuò novo fervore, tum supradictis, tum aliis affectibus immorandum, sedumque liberaliter opportunissimâ occasione ad quidvis hoc tenor.

(quo

(quo olim vidit in Oratione P. ser.
Balth. Alvarez , adesse Dominum
magnâ donorum sarcinâ onustum ,
& cupientem exonerare se in ani-
mas sibi devotas) impetrandum.
Speciatim autem hæc conducent.

1. Excitandus actus Fidei , cre-
dendo , à te verè receptum illum-
eundem , qui pro salute tua Incar-
natus , natus , passus , mortuus est ,
&c. possunt hic & alia mysteria pro-
ratione temporis recoli.

2. Exercendus actus reveren-
tiæ , adorationis & humilitatis ex
consideratione præsentis Divinæ
Majestatis , SS. Christi Humanita-
tis apud te , & in te misero , vili
homuncione , quin & peccatore.

3. Exercendus actus gratitudi-
nis tum pro omnibus , tum maxi-
mè hoc beneficio , quo dignatus
est ad te venire ; & in gratiarum
actionem offerenda omnia tua
maximè verò SS. omniuni & Dei-
paræ & sequia , quin & ipsius præ-
sen-

P sentis Redemptoris tui merita vi-
num tæ, paionis, & mortis.

4. Eliciendus actus amoris su-
per omnia erga liberalissimum Do-
minum ; gaudendo de infinita ejus
perfectione , optando eum ab om-
nibus agnosci , amari, glorificari ,
præfertim verò à te ejus SS. vo-
luntatem , & beneplacitum perfe-
ctè impleri.

5. Actus oblationis sui ipsius ,
renovando sua proposita , & vota ,
quæ quis habet.

6. Actus contritionis ex puro
amore DEI offensi, optando nun-
quam à te vel alia creatura offen-
sum , & , ut nunquam deinceps of-
fendatur , omnibus viribus propo-
nendo.

7. Actus Spei , quandoquidem
hic accepisti pignus & arrham æ-
ternæ salutis, item Medicum , qui
iavit, potest , & vult sanare omnes
uas infirmitates, ut & Dominum
munificenrißimum exhibe. e. po-

tentem , & volentem omnia gratia dona tibi utilia.

8. Actus orationis, & petitionis proponendo Redemptori tuo tuam miserias , & necessitates , tuam item indigentiam, & paupertatem, rogando , ut ab iis te sublevet, & transeat , ac maneant in te ejus gratiosissimæ virtutes, humilitas , mansuetudo , castitas , patientia , obedientia, &c.

9. Actus charitatis erga proximum, rogando pro omni statu , ut suprà habetur indust. 4. n. 3. item optando, ut ab omnibus DEus colatur, & ametur, ut ab iisdem omnia hujus , & alterius vitæ mala avertantur, communia, & privata &c.

10. Elevanda mens ad B.V. deinde ad SS. Angelos, & Electos omnes, rogando ut pro te DEO tam benefico grates agant ob exhibita beneficia , & deinceps ea tibi immetrent quæ ab ipsorum, & tuo Dominino haec tenus petieras. Denique

ad gratiarum laudes invitandæ omnes creaturæ, recitando Canticum, *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* vel *Te DEUM laudamus.*

Reliquus porrò dies singulari cum devotione, & sensuum custodia transfigatur, ut nil à te committatur, quod merito tanti Hospitis præsentiam offendere possit.

INDUSTRIA XVI.

Pro audiendo Verbo Dei.

Inter tot salutis pericula quid est, quod solari magis possit, quam signis etiam quibusdam contestatam sperare suam beatitudinem? Ecce prædestinationis signum ex ipso Christi ore acceptum: *Qui ex DEO est, verba DEI audit.* Joan. 8. neque aliud reprobationis Judæorum ibidem subjunxit signum, quam Verbi DEI neglecti: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

1. Diebus igitur Festis & Dominicis, vel aliis juxta Ecclesiæ vetustiæ Instituti consuetudinem, aut incrementum præscriptum nihil ferè tibi potius similitudinæ ut Concioni aut Exhortationi, quoad fieri potest, inter beatissimas, ex eaque fructum capere studias.

2. Excitabis in te desiderium, Super & bonam intentionem DEI, præmiserim voluntatem hic tibi declarandam cognoscendi & adimplendi.

3. Non tantum ante Concione tem petenda à DEO gratia, tum ut Minister Verbi DEI id rectè & utiliter proponat, tum ut Auditores cum fructu audiant; sed & sub eadem ejusmodi piarum aspiracionum usum familiarem tibi reddas.

4. In Concione non tam ad Personæ proponentis conditionem & modum attendes, quam ad ipsius rei propriæ substantiam, quæ semper animam pascet, à quocunque tandem & quomodo cunque propo-
natur.

5. Finitâ concione DEO gratias
ages, & ut jacto bono semini det
incrementum, humiliter rogabis:
simûlque super fructū exinde hau-
or stum & praxim te refleces; nam
er beati qui audiunt *Verbum Dei*, & cu-
tu stodiunt illud. *Luc. 11.*

6. Eodem modo te habebis, si à
Superiore tuo privatim instruētus,
monitus, vel etiam reprehensus
fueris: si enim & hic DEUM in-
di struentem, monentem, corripien-
tem consideraveris, nihil sinistrè
accipies.

INDUSTRIA XVII. *Pro Cultu Festorum, & San- ctorum.*

QUod corpori, ad vires liberali-
us reficiendas, sunt prolixio-
res & largiores refocillationes,
quandoque institui solitæ; hoc
ani.næ DEO devotæ videntur esse
dies Dominici festique, quibus cor-

pore à laboribus quiescente, ipsa
nunquam minus otiosa impinge-
tur, annonam sibi spiritualem pro
subsequenti integra hebdomode sa-
lubriter providens. Unde pluri-
mū abest ab iis, qui dies festos
vix aliter sacros habent, quam lon-
giori somno & marcido otio in-
dulgendo. Inter hos ne tu sis, re-
fert valde institutorum festorum
causas sub id tempus recolere, &
juxta harum amissim actiones di-
rigere.

i. Igitur causa institutorum fe-
storum est, ut recolatur grata Be-
neficiorum DEI hoc die, vel si San-
cti memoria agitur, eidem Sancto,
aut aliis, per ejus merita, collato-
rum memoria ; unde tali die rectè
considerantur omnia Dona ac Vir-
tutes talis Sancti, ob quorum colla-
tionem DEUM, & ipsum Sanctum
laudamus, vel alios pios affectus
elicimus ; quod ipsum fieri potest
diebus Dominicis, recolendo be-

neficium Creationis mundi, & eiusdem reparationis per Christi Domini resurrectionem, & missiōnem Spiritus S.

2. Causa, ut tali die cultum singularem Duliæ, vel Hyperduliiæ, prout scilicet festum est, exhibeamus ipsi Sancto ob præclara ejus Dona & merita ac gloriam: in eoque ultimate ipsum DEUM honoremus, cui Sancti illius gloria merita, & obsequia (quandoquidem nostra tam sunt tenuia) offerre licet, uniendo ea cum iisdem longè pluribus, & majoribus. Ejusmodi quoque cultus DEO diebus Dominicis exhiberi poterit, dum vel ipsâ cessatione à labore manualli testamur DEUM absque nostro labore omnia creâsse, & etiamnum per se potissimum conservare.

3. Causa, ut eorundem SS. præclara inspicientes exempla, dei nicens imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Quem in finem

optimè tum pridie , tum ipso die,
tum in solemniori festo per totam
Octavam aliqui imitationis actus
in iis maximè virtutibus, in quibus
ille Sanctus claruit , eliciuntur : si-
cut & die Dominicâ cum Christo
resurgente anima se convenienter
denuò erigit , abjecto veteris ho-
minis tempore , & Spiritûs S. gra-
tiam sollicitè implorat.

4. **Causa** , ut tali præcipue die
cum magna fiducia instanter, tum
ab ipso DEO, tum Sancto illo, per
eiusdem merita obsecremus, vel ea,
in quibus ille cum primis excelluit,
vel quorum majori necessitate pre-
mimur, vel quæ maximè impetrana-
da in votis habemus, ut est , v. g.
reformatio vitæ, abolitio hujus vel
illius peccati ; item hujus vel illius
virtutis consecutio. Neque enim
putandum est, optimum Deum, qui
unicè Santos suos glorificare vult.
tali die quidquam negaturum San-
ctorum suorum intercessionibus ,
quas

quas illi ad Clientum suorum æ-
quas & pias preces faciunt.

Summatim igitur in his actibus
religiosa festorum transactio sita est.

1. In gratiarum actione DEO
exhibenda, & Sancto pro collatis
ipsi, & nobis per eum beneficiis.

2. In Cultu Sancti, & cum primis
ipsius DEI.

3. In imitatione.

4. In oratione ac petitione cum
magna spe & fiducia.

INDUSTRIA XVIII.

Pro Uso Indulgentiarum.

TRIPLEM potissimum quod-
que bonum opus fructum in
operantem transmittit : meri-
tum, satisfactionem, & impetra-
tionem. Sed uti benignissimus
DEUS infirmitati & tenuitati
nostræ providere dignatus est ta-
les actiones instituendo, quæ ex o-
pere operato, ut vocant, meritū au-

gerent, scilicet Sacra menta ; uti & Sanctorum patrocinia, Ecclesiæque preces, &c. quæ nobis etiam nil operantibus vim impetrandi haberent; ita & pro uberiori, & celeriore promeritarum pœnarum satisfactione nobis thesaurum aperuit Indulgentiarum, quæ efficerent pœnæ temporalis in hac, vel altera vita exsolvendæ remissionem extra Sacramentum per applicationem satisfactionis Christi , & SS. Ex quo thesauro tu tua quoque debita multa & magna exsolvas.

1. Communium & particularium Indulgentiarum, quas lucrari commodè possis, & velis, summam tibi collige ; ac statis temporibus uti propone.

2. Indulgentiarum cum primis, quæ certis personis, & locis, & temporibus dari solent : dein statuum, ut vocant, in templo privilegiato (qualia ferè sunt Ordinum mendicantium) demum quas habes,

bes certis numismatis, &c. affixas; participem te facere statues: unde necessarium est scire modum, & tempora, quibus illæ conceduntur.

3. Ea, quæ ad lucrandas Indulgencias requiruntur, studiosè adimplere satages.

4. Expedit manè generalem intentionem facere, lucrandi omnes, quas potes, Indulgencias.

5. Cùm status gratiæ prærequiratur, imò ad plenariam remissionē omnium peccatorum, etiam venialium, supponatur, omnino actus saltem contritionis præmittendus est, priusquam opera ad Indulgencias requisita exequaris.



INDUSTRIÆ EXTEMPORANÆ.

Allatas hactenus actiones utcunque in certum ordinem redigere, & ad fixa tempora alligare licuit. Su-

persunt aliæ , quas extemporaneas
vocamus, quia certis horarum, imò
& actionum limitibus vix circum-
scribi possunt , sed pro varia vel ne-
cessitate, vel occasione , jam ad hanc,
jam ad aliam adbibentur actionem,
& tempori aliâs huic, aliâs alij de-
serviunt. Nihilominus ad suas sal-
tem classes revocâsse juverit ; dum 1.
de iis, quæ DEUM, 2. quæ superos,
3. quæ piacularibus flâmis addictas
animas, & 4. quæ superiores, 5. quæ
quemvis proximum, & 6. demum,
quæ ipsum operantem concernunt, to-
tidem Industrias dabimus.

INDUSTRIA XIX.

Actionem erga DEUM.

LIcet omnis actio nostra, ut bo-
na sit, DEum suo modo neces-
sariò respiciat, sunt tamen aliquæ,
quæ speciali quadam ratione eum
magis quodammodo attingunt.

Has

Has inter cumprimis est *Fides* exercenda statis temporibus, ut cum recitatur symbolum, cum urget contraria tentatio &c. Hac assentimur myster. revelato propter Authoritatem DEI.

2. *Spes*, quâ ad consecutionem æternæ beatitudinis, & quæ ad eam spectant, anima erigitur propter DEI omnipotentis promissum misericorditer auxilium. Hujus usus præcipue est tempore Orationis, & in adversis.

3. *Charitas*, quâ DEum propter se, & bonitatem suam diligimus. Exercere licet in omni opere, si purè ob ejus beneplacitum inchoetur, & perficiatur.

4. *Religio*, quâ DEO tanquam Creatori, & Domino cultum debitum exhibemus. Exhibitur autem 1. per altam de DEO aestimationem, ac profundam sui subjectionem. 2. Per devotionem, seu promptitudinem mentis in omni-

bus ad DEI cultum sive tantibus. 3. Per ipsa particularia devotionis exercitia religiosè obita, qualia sunt oratio, obsecratio, laus, gratiarum actio, sacrificium, Sacramentorum usus. 4. Per alios religionis actus, quales sunt adoratio, oblationes, votorum, & juramentorum religiosa editio, & solutio.

5. *Præsentiae Divinæ memoria, uti & Timor DEI* non tam servilis, quam filialis, & reverentialis, quo cum reverentia DEum præsentem agnoscimus, cum eoque tractamus, & ejus offensam fugimus. Exercitij hujus optima est occasio tempore temptationis, vel cum peccati illecebra stimulat.

6. *Conformatas, & Resignatio* ad quævis DEI decreta, permissiones, & omnem quantumvis adversum casum, eventumque sive nos, sive alios concernentem.

7. *Zelus*, quo unicè promovere cupimus DEI honorem, & ad DEI of-

offensam sancto mærore confici-
mur , studiose eam etiam in aliis
amoliri satagentes. Ejus frequens
occasio est in ministeriis ad proxi-
mi salutem spectantibus.

In his, ubi te strenuè magis statis,
aut oblatis occasionibus exercue-
ris, eò rectius ad DEUM te, tuásque
actiones ordinatas crede , & gaude.

INDUSTRIA XX.

*Actionum erga B. V. Ma-
riam, & Sanctos.*

PRæter Latriæ cultum DEO soli
competentem , alius isque in-
ferior est Duliæ , & hoc rursus su-
perior Hiperduliæ : ille Sanctis, hic
DEI paræ Virginio singulari-
ter puras creaturas eminentiam
congruit. ex multis in DEI param,
& SS. devotionibus has , vel similes
non tam felige, quam recte ordina.

I Eas , quas quotidie persolve-
re soles , ad B, V. preces , non ex-
ari-

arida consuetudine, sed cum devo-
tionis affectu, & eo quidem majo-
re, quo breviores sunt, perficies:
utì sunt commendatio matutina, &
vespertina, item illæ ad triplicem
salutationis utì & ad cujusvis ho-
ræ pulsum, &c.

2. Inter longiores quotidianas
preces, quibus DEI param coles, sit
cumprimis quotidianum Rosariū,
vel certè hebdomadarium Psalte-
rium. Dein Litanīæ Lauretanæ
pro felici morte. Tertiò Officium
parvum Immaculatæ Conceptio-
nis pro dono castitatis, juxta tui
statūs exigentiam.

3. Sabbathi dies peculiari cul-
tu DEI paræ sacra sit, tum ordinaria
opera ad ejus honorem offerendo,
tum peculiaria eo die præstanto,
v. g. jejunium, vel aliud mortifi-
cationis genus.

4. Majori adhuc cultu festos
DEI paræ dies prosequēris, tum me-
ditationes consuetas iis applican-
do,

do , tum per usum Sacramento-
rum, tum per alia pia opera.

5. Tenerum , & filiale affe-
ctum erga B. V. saepius in te reno-
vabis : uti est singularis erga ipsam
fiduciæ , amoris , simul & reveren-
tiæ , quam & ejus nomini , ac ima-
ginibus exhibere , tum interiori
cultu memineris , tum exteriori .

*Sanctos porrò reliquos devotè ut-
cunque colueris .*

1. Si Litanias de omnibus SS.
recitare soleas , eâ , quâ par est , atten-
tione , & devotione .

2. Si infrà ponendam divisio-
nem praxi 2. circa electionem , &
cultum Patronorum , constanter
observaveris .

3. Si S. Menstruo non tantùm
certum in hebdomade diem , sed
maximè illum , qui ei sacer est , pe-
culiaribus devotionis , & virtutum
exercitiis unsecreveris .

4. Si peculiarem Patronorum
tuorum tam communium statui ,
Or-

Ordinis, &c. quām particulārium tuorum rationem habueris, quos inter cumprimis esto tuus S. Angelus Custos.

5. Si Festos SS. dies juxta eum, vel similem modum, qui Industriā 17. traditus est, traduxeris.

Hæc, vel his potiora ubi præstiteris, certum eorum patrocinium, quin, & æternæ beatitudinis cum iisdem consortium spera; nec te spes confundet.

INDUSTRIA XIX.

Actionum erga Defunctos.

ANIMÆ PIACULARIBUS PURGATORIJ flammis detentæ eò magis à nobis juvandæ sunt, quò minus se ipsas juvare possunt: eò majori etiam misericordiâ dignæ, quo acriori miseriâ premuntur: eo quoque charitati affectu præsequendæ, quo similis auxiliij vehementiore desiderio flagraret unusquisq; nostrū,

itrum, si poenitentia involutus, iisdem
ignibus ustularetur. Memor igitur
dicti Dominici: *qua mensuram mensa-
fueritis, eadem remetietur vobis.*
Matth. 7. animabus Purgatorij
vel similem feres opem.

1. Quotidie aliquid pro defun-
ctis orabis, saltem psalmum *De pro-
fundis*, &c. post pulsum vesperti-
num ad Salutationem Angelicam.

2. Feria 2. omnia satisfactio-
nis opera pro iisdem offeres.

3. Quas licebit, Indulgentias
iis applicabis, facta eam in rem
matutinam intentione. Speciatim
autem Menstruam Communionem
eum in finem studiosè frequenta-
re proderit.

4. Defunctorum illorum singu-
lariter memor eris, quibus quo-
cunque modo eras obligatus, vel
alio modo conjunctus, item eo-
rum, quibus offendisti, vel quibus
causa purgatorij fuisti: vel eorum,
qui magis egent, & speciale auxi-
lium

lium non habent. Vel qui magis DEUM in cœlis glorificabunt, & amabunt: qui in hac N. virtute, quam speciatim optares, magis excelluerunt, quas ut & tibi impetrant, vel alia in quavis necessitate constituto auxiliarem, & ipfi tibi operam præstent, rogare licebit.

INDUSTRIA XXII.

Actionum erga Superiorum.

His debetur i. Reverens obseruantia, exhibenda tum interno cordis affectu, tum externis reverentiæ signis, considerando in iis personam ipsius Christi, cuius vicarij sunt; item defendendo ipsorum honorem, præcepta, &c.

2. Integra, & perfecta obedientia cum resignatione propriæ voluntatis, & judicij. De his enim dixit Christus Luc. I^o *Qui vos audit, me audit.*

3. Cauor animi cum Christia-

na simplicitate , detegendo ei, uti
& Confessario, intimas etiam con-
scientiæ latebras , ut te efficaciùs
dirigere possit.

5. Oratio pro iisdem.

INDUSTRIA XXIII.

*Actiones erga alios Proxi-
mos.*

PROXIMIS quibuscumque exhibenda est charitas, quæ in his tribus consistit. Primò velle iis propter DEUM vera bona singulis convenientia. Secundò nolle iisdem vera mala. Tertiò velle supportare in charitate illorum onera.

2. Bonum exemplum.

3. Zelus ad eos quomodocunque licebit , juvandos.

4. Humilis , & affabilis, maturaque conversatio cum bona de omnibus opinione , &c.

INDUSTRIA XXIV.**Actionum erga se ipsum.**

UT omne officium erga proximum consistit in ejusdem dilectione , ita ex opposito erga se ipsum ferè absolvitur in sancto odio sui : Ascetæ mortificationem appellant , quæ duplex est , externa , & interna . Externa constat his ferè tribus partibus . 1. Ut ab illicitis carnis , & sensuum voluptatibus abstineatur . 2. Ut etiam quandoque ex amore virtutis alicujus à licitis . 3. Ut corpus asperitatibus , & pœnitentiis quibusdam seu spontaneis , seu aliunde advenientibus (ut ex iniquitate tempestatum , ex malitia hominum , ex constitutione morbi da corporis , &c) in servitutem redigatur . Interna mortificatio concernit omnes interiores affectus moderando , ut amor sensualem per virtutem castitatis , & temperantiae ; amorem terreno-

rum per virtutem paupertatis , vel liberalitatis ; amorem mundanum per virtutem humilitatis ; amorem proprium per virtutem obedientiæ , &c.

Hinc iple tibi facile statues , quas tum externas corporis , tum internas animi mortificationes statis temporibus , vel oblatis occasionibus exercere velis.

INDUSTRIA ULTIMA *De Præparatione ad bonam mortem.*

ARs artium est ars bene morendi ; error in morte , quoniam semel tantum morimur , est omnium gravissimus , est æternus , emendari non potest ; à DEO , & cælo in æternum aberratur . Si miles artem bellandi discat , que in ea se unquam exerceat ; hoc terribilem , peritum , & summè dolosum in

conflictu quomodo superabit? *Militia est vita hominis super terram*, Job. 7. Milites sumus omnes; adversarium habemus dæmonem qui in ultimo agone omnes machinas admovebit. Vincemur facile, non vincemus, nisi in hac arte bene instruti, & exercitati simus. Ut pro rò bene moriaris, quod unum est necessarium, sequentia præmitte.

1. Vive vitam bonam; qualis enim vita, mors est ita. *Vis non timere mortem, vive bene.* S. Aug. Vita tua constat futuris aliquot annis, mensibus, hebdomadis, diebus: vive juxta præsentes industrias, & bene vixisti.

2. Dum sanus es, multa bona operari potes: infirmus, debilis, & moribundus quid poteris? Fac nunc, quæ moriens facta fnisse volles. Nunc ora, nunc jejuna, nunc da eleemosyram.

3. Sapientia meditare, quid sit mors; quibus te rebus privet; quam

quām felix bonis , quām infelix malis ; quām certa in se ; quām incerta quoad tempus , locum , modum , & , quod terribilissimum omnium , etiam quoad statum animæ .

4. Singulis hebdomadis Dominico , aut Festo die , solus omnino , & separatus ab omnibus , ex teipso quare : *Si mibi nunc hoc loco moriendum esset , quo animo , & quæ præparatione morerer ?* estne aliquid , quod in præsenti conscientiam meam gravat ? Si quid ejusmodi fuerit , dole , propone emendationem , idque quantocyūs confitere .

5. Singulas sacras communiones per modum viatici sume , & quidem cum eis actibus , quos , sumendo viaticum , exerceres . Eosdem actus quotidie elicere posses sub communione spirituali , prætim vespertina , quam cum Exma Unctione pariter spirituali cies maximō emolu . intō .

6. Adjuva libenter illatos , &

D

mo-

moribundos orationibus, & operibus misericordiae spiritualis, & corporalis; agonizantium etiam quotidie memor esto; pro his, & pro animabus purgatorij diligenter precare.

7. Elige quosdam mortis tuæ Patronos, quos eo fine quotidie coles, eisque mortem tuam commendabis. Ejusmodi esse possent S. Michaël, S. Angelus Custos, S. Josephus, S. Barbara, S. Menstruus, S. Patronus Nominis, Familia tuæ, aut Religionis &c.

8. Singularem affectum habe erga Sanctissimam DEI Matrem, & peculiari devotione recita verba illa: *Sancta Maria Mater DEI ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ, Amen.*

9. Præ aliis omnibus venerare Christum Crucifixum, & in crucagonizantem; pete per ejus sanctum agorem ultimæ luciæ tuæ funeralium ventum, & mortem tuan-

cum morte Christi coniunge, & dic : *Sit mors tua vita mea, O JESU ! O JESU ! tunc esto misericordia JESUS, & salva me.*

10. Denique tibi, & aliis propè utilissimum erit, si quales virtutum actus exerceri solent cum moribundis, & quales tu in extremo agone elicere velles; eorum in vita habitum, & consuetudinem contrahas. Tales sunt actus fidei, spei, charitatis, gratiarum actionis, doloris, resignationis, desiderij DEUM videndi, &c Hos ante somnum, quasi jamjam moriturus, per opportunè elicere poteris ad modum, quem dabit inferius praxis ultima.



D 2 PRA.



P R A X E S I N D U S T R I A R U M .

Ut expeditior sit usus Industriarum, hactenus traditarum, juverit earundem potiores præxes plerisque ad formam orationis hic mox in promptu habere, & hunc, vel similem in modum usurpare.

P R A X I S I . Respondet Industriæ I.

Ante quodvis opus.

O DEUS, utinam hoc opus ad tuum beneplacitum, ad meum meritū, ad proximi ædificationem perfectè peragere sciam, velim, possum, & reipsā sic peragam! Id certè offero tibi ô SS. Trinitas unus Deus, velut debitum sententis meæ obsequium, in unionem meritorum unigeniti Filij DEI, & ejusdem glorio-

riosæ Virginis Matris, & omnium
Sanctorum, quo possum affectu, ad
Nominis tui gloriam, amorem, &
honorem, in gratiarum actionem
omnium beneficiorum, mihi aliis-
que collatorum, in satisfactionem
omnium peccatorum meorum, ad
imperrandam defunctis requiem,
mihi, & his NN. gratiam, tibi per-
fectè serviendi, & hanc cum primis
N. virtutem exercendi, &c. Susci-
pe, & perfice hoc desiderium me-
um, atque ad explendum bene u-
berem gratiam, & benedictionem
largire per infinitam tuam Boni-
tatem, per merita filij tui, & B. V.
Mariæ, ac SS. tuorum; ex te enim,
& in te, ac per te sunt omnia.

Breviūs. O DEUS desidero hoc
opus integrè, ac sanctè peragere.

Suscipe, quod tibi tunc ex puro
imore tui, & hujus N. virtutis of-
fero, ô desideriorum exauditor
DEUS! da quod jubes & jube,
quod vis.

In ipso opere quandóque ruminanda.

Confirmā, & perfice ô DEUS,
quod operatus es in nobis. Placet
quod proposui.

Post opus.

Benedictus es Domine DEUS
meus, qui introitum, progressum
& exitum operi huic tribuisti :
tuum est, si quod in eo bonum est ,
propter quod te laudo : meum , si
quid in eo peccatum , de quo do-
leo. Dignare ô piissime Domine
fuscipere , & meritis unigeniti Fi-
lij tui supplere defectum me-
um ; & da, ut, quod à me jam ne-
glectum, aliàs juxta benepla-
citum tuum corrigatur,
& perficiatur.



PRA.

P R A X I S II.
Respondet Industriæ II.

Pro modo surgendi.

Dum surgitur.

IN nomine DEI Patris , qui me creavit , Filij, qui me suo pretioso sanguine redemit, & Spiritus S. qui me sanctificavit, surgò. Ipsius honor, laus, & gloria in sæcula.

Benedicta sit SS. Trinitas, unus DEUS, qui me in columem ad hanc usque diem perduxit : ecce nunc dies salutis. Justificationes tuas ô DEUS custodiam, viam iniuritatis amove à me , maxime bujus peccati N. quod speciatim cævere propono: in justificationibus tuis meditabor, de hac materia N. Da, quod jubes, & jube, quod vis. Deus, Deus meus ad te de luce vigilo, &c. Psalm. 62.

Inter Induendum.

Credo tibi, & in te, ô æterna infallibilis veritas, te cibæ supplex quo.

quo possum humilitatis, & reverentiæ affectu adoro, laudo, glorifico, & nihilum meum agnoscens Majestati tuæ me inclino. Spero in te, & ad te ô Bonitas infinitâ, ô Omnipotentia inexhausta, quidquid veraciter promisisti, vitam scilicet & gloriâ sempiternam in futuro, in præsenti verò gratiâ, & remissionem peccatorum ; de quibus ex animo ob te summum bonum offendum doleo ; simûlque unicè te amo propter ineffabilem tuam Bonitatem, & Beneficentiam : quam, & alias omnes infinitas perfectiones tuas tibi ô DEUS meus, & omnia ! ex animo gratulor. Utinam ego, & omnes creaturæ te agnoscant, ament, glorificant, & SS. beneplacitum tuum perfectè adimpleant. Ad hoc ergo me nunc, & per totam vitam, ac æternitatem tibi prorsus offero, & consecro. Ju-be, quod vis, & da, quod jubes. Pater noster. xc. Ave Maria, Credo.

Preces matutinæ ad DEUM.

Adjutorium nostrum in nomine
Domini; qui fecit cælum, & terram.

Confiteor DEO omnipotenti &c.

Misereatur mei omnipotens
DEUS, & dimissis peccatis meis
perducat me ad vitam æternam.
Indulgentiam, absolutionem, &
remissionem peccatorum meorum
tribuat mihi omnipotens, & mi-
sericors Dominus, Amen.

Dignare Domine die isto sine
peccato nos custodire. Miserere
nostrum Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine
super nos, quemadmodum spera-
vimus in te. Domine exaudi ora-
tionem meam, & clamor meus ad
te veniat.

O R E M U S.

Domine Deus omnipotens, qui
ad principium hujus diei nos
pervenire fecisti, tuâ nos hodie
salva virtute, ut in hac die ad nul-
lum declinemus peccatum, sed

semper ad tuam justitiam facien-
dam nostra procedant eloquia, di-
rigantur cogitationes, & opera, per
Christum Dominum nostrum, Am.

Dirigere, & sanctificare, regere, &
gubernare, dignare Domine Deus
Rex cæli & terræ, hodie corda, &
corpora nostra: sensus, sermones
& actus nostros in lege tua, & in
operibus mandatorum tuorum, ut
hic, & in æternum te auxiliante sal-
vi, & liberi esse mereamur, Salva-
tor mundi: qui vivis, & regnas in
sæcula sæculorum, Amen.

Ad B. Virg. Mariam

Sancta Maria, Mater Dei, & Vir-
go, ego N. novo amoris affectu
te hodie in Dominam, Patronam, &
Advocatam, quin & Matrem meam
gratiosissimam eligo, firmiterque
statuo, ac propono, me nunquam
te derelicturum, neque contra te
aliquid unquam dicturum, aut
facturum, neque permitturum, ut
a bacis ditis aliquid contra

tuum honorem unquam agatur.
Obsecro te igitur, suscipe me, licet
indignissimum, in peculiarissimum
famulum tuum, ad sis mihi in actione
nibus omnibus meis, nec me dese-
ras in hora mortis, ô clemens, ô
pia, ô dulcis Virgo Maria.

O Domina mea Sancta Maria,
me, omnésque mihi commendatos
in tuam benedictam fidem, ac sin-
gularem custodiam, & in sinum mi-
sericordiae quoad animam, & cor-
pus, & omnia nostra, hodie, & quo-
tidie commendo; fac, ut omnia
nostra dirigantur, & disponantur
desideria, verba, & opera secun-
dum tuam, tuique Filij Sanctissi-
mam voluntatem, Amen.

Ad S. Angelum Custodum.

B Eatissime, ac gloriosissime mi-
Angele Custos, ego quamvis
tuâ sacrâ custodiâ longè indignis-
simus, fretus tamen eximiâ pieta-
te, & charitate tuâ, & zelo illo,
quem habes erga salutem animæ

D 6

meæ;

meæ, eligo te hodie in præsentia
totius curiæ cælestis pro singulari
Protectorे, & Advocate meo, fir-
missimèque propono, tibi ad mor-
tem usque fideliter semper obedi-
re. Obsecro te igitur per gloriam
illam, quâ in cœlo jam frueris, ut
acceptes hoc propositum meum,
& gratum habeas sincerum hunc
affectionem erga te meum; adsis mi-
hi in omnibus actionibus meis,
gratiámque impetres à tuo, & meo
Domino, ita me gerendi in omni-
bus cogitationibus, verbis, ope-
ribus meis, ut purissimos oculos
tuos nunquam offendam, neque
Divinam Majestatem ad justam
contra me iram accendam. Adsis
mihi semper, nec me deseras in
hora mortis meæ, Amen.

Oblatio Matutina.

Die Dominica fiat, in honorem
SS. Apostolorum præsertim
Petri & Pauli pro Ecclesia Catho-
lica; mili. serò pro impreanda
æter-

æterna beatitudine , & perseverantia in digno Dei obsequio.

Die Lunæ , in honorem ejus Sancti , cuius nomen gero , pro fidelibus defunctis ; mihi pro impetrando eo , super quo facio examen particulare.

Die Martis , in honorem Sancti Angeli Custodis pro omnibus meis Benefactoribus ; mihi pro impetranda puritate conscientiæ absque consensu in peccatum præsertim grave.

Die Mercurij , in honorem Sancti mei menstrui , & aliorum peculiarium Patronorum , pro Romano Imperio , & statu omni sæculari ; mihi pro impetranda ea virtute , quam in S. Menstruo colendam sortitus sum , vel pro charitate proximi.

Die Jovis , in honorem Ven. Sacramenti & aliorum Sanctorum , præsertim mei status , & ordinis , pro omni statu Ecclesiastico , & Re-

ligioso ; mihi pro impetranda devotione, & dono orationis.

Dui Veneris, in honorem Passio-
nis Domini, & SS. Martyrum, pro
conversione impiorum , tam fide-
lium , quam infidelium , mihi pro
impetranda mortificatione malo-
rum affectuum , & pro felici morte.

Die Sabbathi, in honorem B. Vir-
ginis , pro meis parentibus , con-
sanguineis , & aliis amicis , & quo-
modocunque mihi commissis , &
commendatis , mihi pro impetran-
da observatione meorum votorum
(si quæ habeo) item humilitate ,
& mansuetudine.

Praxis oblationis.

TIbi ô SS. Trinitas offero hodie,
& deinceps omnes meas cogi-
tationes , desideria , verba , & opera ;
actus & omissiones ; officia & ne-
gotia , prospera & adversa , ex since-
rissimo tui amore ad laudem , &
cultum S^{anctissimi} Nominis tui in
unio-

unionem infinitorum meritorum
Filij tui Domini mei JESU Christi,
ejusdemque S. Matris, & omnium
Sanctorum, ac præsertim hujus
Sancti N. ad cuius honorem, & imi-
tationem ejusdem præclarissima-
rum virtutum, illius patrocinio
impetrandam, tuam ô Deus meus
actionibus omnibus meis, præser-
tim istis, & istis, benedictionem
uberem largiri digneris, ut per has
mihi quidem hanc N. gratiam, &
virtutem; aliis verò præsertim his
N. pro quibus peculiariter hæc o-
mnia hujus diei opera, & satisfa-
ctiones offero; obtinere valeam,
quod cuique expedit. Supplex
proin te piissime Deus obsecro pro
tua gratia, te verò ô Sancte N. pro
singulari, & gratiose tuo patroci-
nio, ut ex nunc omnia ad Divinæ
Majestatis honorem, & ad meam
proximorumque utilitatem per-
agam.

PRAXIS III.**Respondet Industriæ III.**

Ante Orationem mentalem.

LO quebar ad Dominum , cùm
sim pulvis & cinis.

Providebam Dominum in con-
spectu meo semper, quoniam à dex-
tris est mihi , ne commovear. Con-
fitebor tibi Domine in toto corde
meo. In conspectu Angelorum
psallam tibi &c.

Initio Orationis.

Per signum Crucis de inimicis
nostris libera nos Deus noster.

Deus in adjutorium meum in-
tende, Domine ad adjuvandum me
festina.

Actiones nostras quæsumus Do-
mine aspirando præveni , & adju-
vando prosequere , ut cuncta no-
stra oratio à te semper incipat , &
per te cæpta finiatur. Per Chri-
stum Dominum nostrum , Amen.

Vcl: Tibi Domine offero , quid-
quid

quid hoc tempore & loco cogita-
vero: ut purè ad honorem, & glo-
riam tuam dirigatur, propter te-
metipsum supplico, mihi adsis, ut
ita orem, sicut tu vis ad Sanctissimi
Nominis tui gloriam, animæ
verò meæ utilitatem, Amen.

O Pater hanc tibi orationem
unitam, & incorporatam oratio-
ni unigeniti Filij tui IESU Christi
fuscipe, per eundem te obsecrans,
ut sicut illius fuit, ita & mea ora-
tio sit tibi accepta.

O Redemptor & Magister mi,
doce me orare cum tali attentio-
ne, puritate & fervore, qualem tu,
Patrem tuum orans, adhibebas,
quò mea, ut tua, oratio grata illi sit.

O Sanctissime Spiritus, ego mi-
ser & ignorans peccator, quid
orem? sicut oportet, nescio. Tu
itaque Deus meus age in me, ac
move me, ut gemitibus inenarra-
bilibus petam, quo mea oratio ac-
cepta sit, à tam nobili procedens
prin

principio, quale tu es, cui sit honor & gloria in æterna sæcula, Amen.

In progressu orationis.

Porrò in oratione, quæ fiet in loco privato & secreto, ad sequentem modum, qui quæsitis superiùs n. 7. respondeat, procedes, & meditaberis v. g. de Nativitate Domini, hac vel simili methodo: pones tibi ob oculos mentis stabulum Bethlemiticum, atque in eo neo-natum JESULUM: postulabis de in gratiam vg. ô Divine Pusio, quem in humana carne hic adoro, notum mihi fac, quid ex hoc admirabili Nativitatis tuæ mysterio discere debeam; da simul gratiam, ut id non solum velim, sed & perficiam.

I. Considera: ô anima mea! Deum humana carne induitū, nasci voluisse in stabulo: ita per Evangelium te docet ipsa Veritas æterna Deus, qui adeò sapiens est, ut falli non possit; adeò bonus, ut fallere non velit. **Credo** ô Deus meus

te incarnatum , & hominem natum esse ; adjuva incrudelitatem meam. Adoro supremam tuam in infantili licet corpusculo Majestatem , &c.

2. Ecce ! Deus ita se humiliavit , & exinanivit , ut formam servi , nempe miseri hominis induerit : Deus sapientissimus nasci voluit infans ; omnipotens imbecillum corpus assumpsit : summa Majestas pro nati vitatis suæ loco elegit stabulum &c. idque fecit amore tui , ut nempe te redimeret : tûque eum vicissim amares. O bonitas Dei infinita ! gratias tibi , quas possum , reddo protanto beneficio : eheu doleo ! quod te unquam offenderim , quod amori tuo tam ingratus existiterim. Ah ! amabo deinceps , ô bone J E sus ! tu deinceps totus meus sis , & ego totus tuus.

3. Et quidnî amem Deum , infinitè bonum , pulchrum , justum , misericorde , sapientem , potentem , &c. quidnî amem illum , qui mihi in-

numera quodidie , & hoc ipso mo-
mento beneficia præstat ? quidnî
ex me toto amem eum , cui corpus
& animam , & quidquid sum , de-
beo ? Deus est finis meus ultimus ,
quem si non amo , æternum infe-
lix ero ; si diligo , semper beatus in
cælesti gloria existam &c.

4. Heu me miserum ! quid egi ?
tantum Deum , aut haec tenus non
amavi , sed insuper peccatis offend-
i ; aut tepidè nimis amavi . O
Deus infinitè amabilis ! deprecor ex
corde omnes tui offensas ; depre-
cor meum in diligendo te porem .

3. Non ita deinceps ; sed ama-
bo te ô Deus meus ! ex toto cor-
de meo , ex tota anima mea , ex
omnibus viribus meis . Cavebo so-
llerter à peccatis , præcipue à N. in
quod frequentius labor : fervens
deinceps ero in tui cultu , nempe
orationibus meis , auditione Missæ ,
Confessione , &c noctie , præsertim
in templo , sub sacro , & concione ,
sub

sub Vesperis , & Litanis, orabo cum summa modestia , attentione , manibus conjunctis , ac sublatis &c.

6. Adverto bene , quod me habetenus illa occasio N. illa familiaritas N. illa domus N. illud negotium N. ille socius N. in peccatum adduxerit , hæc omnia deinceps vitabo. Obfuit mihi haecenus amor proprius , licentia sensuum , oculorum , aurium , &c. & commodorum studium : at in futurum Majestas tua Divina , & Bonitas versabitur ob oculos , & amore proprio resistet. Impedimento erat respectus hominum , actiones aliorum , irrisiones , quas timebam : de hinc non quid alij agant , vel mihi dicturi sint , sed quid me agere deceat , & oporteat , cognito tanto in me amore perpendam.

Tu ô bone J E s u ! quem admodum dedisti , hoc non nō scerem , & statuerem ; da quoque , ut in proposito semper perseverem. Credo in

in te , mi JEsu ! adore te ; gratias ago tibi , doleo de peccatis , spero gratiam tuam , propono emendationem in omnibus , præsertim in his NN. amabo te semper & JEsole mi ! amabo te Deum meum ! amor meus ! & omnia.

N.B. Quòd si materia meditatio-
nis te deficiat , meditare modô præ-
fatô de industriis , & praxibus hoc
libello contentis ; quod meditandi
genus & facile & valde profi-
cuum erit.

Post orationem.

Ferè ut supra praxi 2. post quod-
vis opus .

PRAXIS IV.

Respondet Industriæ IV.

Ante sacram.

OMnipotens sempiterne Deus ,
ego licet undecunque tuo
conspectu & Ministerio) si Sacer-
dos sit , indignissimus , fretus tamen
pie-

pietate tuâ infinitâ , & impulsus
desiderio tibi serviendi , te glorifi-
candi , memoriam mirabilium tuo-
rum recolendi , te laudandi , te pro-
ptiandi , & à te varia dona mihi ,
& aliis impetrandi , volo audire
(*Sacerdos dicit, celebrare*) Missam ,
quam tibi offero ad laudem , & glo-
riam sanctissimi Nominis tui , in
recognitionem summæ & infinitæ
tuæ Majestatis , & in recognitio-
nem servitutis meæ innumeris ti-
tulis tibi debitæ , maximè in me-
moriā & gratiarum actionem Do-
minicæ Redemptionis , Passionis , &
mortis Filij tui . Offero tibi etiam
o Deus meus hoc Sacrificium lau-
dis , in gratiarum actionem pro-
pter infinitam gloriam tuam , & Fi-
lij tui , propter ineffabilia , cum pri-
mis SS. Matri ejusdem dilectissimi
Filij tui , electis omnibus , & maximè
Sancto huic cuius anniversarium
diem recolimus) aemum & mihi ,
collata dona & beneficia , maximè
hæc

hæc N. Utinam pro his gratus fuissem , per hoc ipsum tamen Sacrificium supple defectum meum. Sed & per ejusdem tanquam hostiæ propitiatoriæ virtutem dimitte universa, de quibus ex animo doleo , delicta mea ; uti & debitæ pro iis pœnas , pro quibus hoc infiniti valoris pretium tibi offero. Suscipe etiam ô Domine hoc Sacrificium tanquam hostiam pacificam ad impetrandam defunctis requié, vivis gratiam , mihi perseverantiam in tuo Sancto servitio , in sancta fide Catholica , in hoc N. statu , in Sancto tuo (Sacerdotali) ministerio , in gratia tua cum omni perfectione Christiana (Religiosa , Sacerdotali) filiali. Averte per hujus Sacrificij virtutem, hæc N. mihi, aliis mala : da istas N. gratias , virtutes , pro quibus tibi humillimè supplico , ac præsertim pro gratia , ut dignè Sacrificio nunc tremendo assistam , Amen.

Ad Elevationem.

Ave verum Corpus Christi de
Maria natum Virgine, verè
passum, immolatum in Cruce pro
homine. Esto nobis prægustatum
mortis in examine, ô pie! ô dulcis!
ô JESU Fili Mariæ.

Ave verus Sanguis Christi, qui
pro mea Crucis in ara effusus es,
miserere mei, ô pie! ô dulcis! ô
JESU Fili Mariæ, Amen.

*Repetit etiam suprà posita oratio
ante sacrum hic posset.*

Communio Spiritualis.

Domine JESU Christe firmissi-
mâ fide credo, ac profiteor,
te hic corporaliter præsentem in
altari hostiam veram & vivam im-
molari, qui pro me natus, passus,
& in ara Crucis pro me immolatus,
& mortuus es. Te ego Domi-
num, ac Deum meum, Creatorem,

ac Redemptorem meum supplex
adoro & veneror, ac Majestati tua & g
minima creatura tua me proster
no corde humili, & contrito om
quod ô DEus meus non despicies inf
Neque enim, hic præsens es ve
lut Judex, sed ut amabilissimus dic
Salvator, Pater, ac Medicus meus, ri
ut sanes omnes spirituales meas om
infirmitates & miseras, uti sanare qu
scis, potes, & etiam vis. In hac igi
tur infinita sapientia, omnipoten
tia, & bonitate tua confusus, spero
per infinita merita tua remissionem
omnium peccatorū, de quibus do
leo ob te suū bonum offendit, offensum,
spero etiam omnia dona gratiæ,
& gloriæ juxta tuum SS. benepla
citum, & meam utilitatem, pro
quibus mihi conferendis, maximè
his, N. te humillimè rogo, obte
stóque; ô Deus animæ meæ, uni
cum Bonum meum. gaudeo de inef
fabili gloria, & perfectione tua: uti
nam te unā mecum omnes creatu
ra

plex ræ, ut par est, agnoscant, ament,
 i tua & glorifcent. Id certè ego ex nunc
 poster desidero, & amore tui me, ac mea
 ito, omnia tibi prorsus offero propter
 cies infinitam Bonitatem, & Beneficia
 ve tua, pro quibus te laudo, & bene-
 mus dico: neque aliud quidquam ulte-
 eus, riùs peto, ac rogo, quām ut tecum
 neas omnino unus spiritus efficiar: &
 nare quia Sacramentali Communione,
 igi. quam quidem, si liceret, unicè de-
 ten- siderarem, tibi hodie uniri non me-
 vero reor, transforma me nihilominùs
 nem totum in te, ut vivam ego, jam
 do- non ego, vivas verò tu in me.

A Nima Christi sanctifica me,
 Corpus Christi salva me,
 Sanguis Christi inebria me,
 Aqua Lateris Christi lava me,
 Passio Christi conforta me:
 O bone JESU exaudi me,
 Intra vulnera tua absconde me,
 Ne permittas me separari à te,
 Ab hoste maligno defende me.
 In hora mortis meæ voca me,

Et jube me venire ad te,
 Ut cum Sanctis tuis laudem te
 In saecula saeculorum, Amen.

PRAXIS V.

Respondet Industriæ V.

*De Oratione Vocali.**Ante Orationem.*

Domine in unionem Divinæ illius intentionis, & devotionis, qua ipse in terris DEO Patri tuo laudes persolvisti, has tibi horas & preces persolvo ad laudem, & cultum SS. Nominis tui, & B. Virginis Mariæ, & Sanctorum tuorum, maximè hujus N. cuius anniversarius hodie dies recurrit. Aperi igitur, ô Domine Deus meus os meum, & labia mea ad benedicendum Nomen Sanctum tuum: munda cor meum ab omnibus vanis perversis, & alienis cogitationibus illumina intellectum, affectum inflamma, ut dignè, attente, & devo-

tè

red

rea

jes

R

A

1.

2.

3.

4.

5.

1.

2.

3.

A

te

tè hoc officium (vel has preces)
recitare valeam , & exaudiri me-
rear ante conspectum Divinæ Ma-
jestatis tuæ, Amen.

**RECITATIO ROSARII,
SEU PSALTERII.**

**Ad Salutationis Angelicæ
verba illa : JESUS dic.**

In decade Rosarij gaudiosi.

1. Quem Virgo concepisti.
2. Quem visitando Elisabeth, por-tâsti.
3. Quem Virgo genuisti.
4. Quem in templo præsentâsti.
5. Quem in templo invenisti.

*Ad tria Ave Maria post eadem
verba dic :*

Qui nobis augeat.

1. Fidem rectam.
2. Spem firmam.
3. Charitatem perfectam.

**Ad Salutationis Angelicæ
verba illa : JESUS dic.**

In decade Rosarij dolorosi.

1. Qui pro nobis sanguinem suum dedit.
2. Qui pro nobis flagellatus est.
3. Qui pro nobis coronatus est spinis.
4. Qui pro nobis crucem bajulavit.
5. Qui pro nobis crucifixus est.

Ad tria Ave Maria.

Post eadem verba.

1. Qui intellectum illuminet.
2. Qui voluntatem inflammet.
3. Qui memoriam roboret.

Ad Salutationis Angelica

verba illa : JESUS dic :

In decade Rosarij gloriosi.

1. Qui resurrexit à mortuis.
2. Qui Cœlos ascendit.
3. Qui Spiritum S. misit.
4. Qui te assumpsit.
5. Qui te in Cœlis coronavit.

Ad tria Ave Maria.

Post eadem verba.

1. Qui dirigat cogitationes.

2. Qui regat verba.
3. Qui gubernet opera.

Post Orationem.

O Piissima Mater DEI! supple hoc imperfetum obsequium meum apud dilectum Filium tuum. O piissime IEsu suscipe hoc idem de manu B. Matris tuæ, unitumque tuis, & ejusdem, Sanctorumque omnium meritis offer æterno Patri tuo. Pater respice in faciem dilecti Filij tui, & miserere nobis pro beneplacito tuo ad maximam æternamque gloriam tuam, Amen.

Laudate Dominum omnes gentes, &c.

PRAXIS VI.

Respondet Industriæ VI.

De Lectione Spirituali.

Ante Lectionem.

L Oquere Domine, quia audit servus tuus. Eloquia tua, eloquia casta, argentum igne examinatum.

In Lectione.

Da, quod jubes, & jube, quod vis.

Post Lectionem.

Benedictus es Domine Deus meus , qui illuminasti tenebras meas, & docuisti me facere voluntatem tuam: confirma hoc, quod inspirare, & operari in me dignatus es, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

P R A X I S VII.

Respondet Industriæ VII.

De Studijs, &c.

Oratio ante quamcunque Actionem.

Actiones nostras quæsumus Domine , aspirando præveni , & adjuvando prosequere , ut cuncta nostra operatio à te semper incipiat , & per te cæpta finiatur.

Tua nos , Domine , quæsumus gratia semper præveniat , & sequatur: ut mandatis tuis semper inhæren-

rentes, quæ tibi soli placita sunt, &
dictis exequamur, & factis, Amen.

Vel ad Filium DEI.

Offero tibi, ô misericordissime JEsu cuncta, quæ nunc acturus sum in unione Sacratissimæ Passionis tuæ: ut per ejusdem merita solam tuam, tuique æterni Patris gloriam in omnibus quærendo merear, & bonis operibus abundare, & sanctissimæ utriusque voluntati laudabiliter, ac sincero corde deservire. Qui cum eodem Patre vivis, & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Vel ad spiritum Sanctum.

Hymnus de eodem.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita.

Imple superno lumine,
Quæ tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum DEI

Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritualis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende Lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacémque dones protinus,
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium,
Per te sciamus, da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Téque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

DEO Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit; ac Paraclito
In sempiterna, sæcula, Amen.

Vel ad Santos DEI.

Virgo Maria, beati mei Patroni,
cæterique omnes Sancti
Dei

Dei orate pro me, ut hoc opus
juxta sanctissimam Dei voluntatem
& beneplacitum ad Divinam ejus-
dem gloriam valeam perficere. Ju-
vate, & dirigite gressus meos, ut
non deficiam in via: sed feliciter,
& constanter in cœpto perseverem,
ut Deus glorificetur in me, & sit
nomen Majestatis ejus benedictum
in sæcula, Amen.

Vel

OMnes Sancti tui, quæsumus,
Domine nos ubique adjuvent,
ut dum eorum merita colimus, pa-
trocinia sentiamus; Sancta Maria,
& omnes Sancti intercedant pro
nobis ad Dominum, ut in his, quæ
agere intendimus, mereamur ab eo
adjuvari, & per merita Filii ejus
JESU Christi salvari. Qui cum
eodem Patre vivit &c.

Absoluto quocunque labore, oc-
cupatione, præsertim publica.

Suscipe Clementissime Deus pre-
cibus, & meritis Beatissimæ sem-

per Virginis Mariæ , & omnium
Sanctorum officium servitutis meæ,
& si quid dignum laude egi , pro-
pitiùs respice , quod verò negli-
genter actum , clementer igno-
rare. Qui in Trinitate perfecta vi-
vis , & regnas Deus in sæcula sæ-
culorum , Amen.

TIbi laus, & gloria æterne Deus
quod auxilio gratiæ tuæ, quæ
agenda suscepi , feliciter perfecta
sint, quæ tibi grata , mihi salutaria
esse concede. Benedictum sit dul-
ce nomen Domini nostri J E S U
Christi Nazareni Crucifixi , & Bea-
tissimæ Virginis Mariæ Matris ejus,
& tota Curia cælestis sit benedicta
in æternum , & ultra.



PRAXIS VIII.

Respondet Industriæ VIII.

De Examine particulari.

1. *Gratiarum actio brevis.*

QUAM bonus, & liberalis es erga me hucusque, ô Deus infinite amabilis: humiliter agnosco beneficia maximè circa cautelam hujus N. defectus, & exercitium hujus N. virtutis: & pro iisdem te laudo, & quo possum affectu, gratias ago.

2. *Petitio gratiæ.*

Dignare insuper omnibus his miserationibus tuis addere gratiam lapsus contra propositum meū agnoscendi, expiandi, & emendandi.

3. *Examen.*

1. Num propositum manè feci circa definitum vitium, aut virtutem, cum petitione gratiæ? an sue tempore quandoque interdiu renovavi?

2. An, & quoties hucusque contra id sciens, vel ignarus egi?

3. An de singulis lapsibus dolui?

4. An remediis aptis studui, vel usus sum?

5. Quo fructu in hac curatione versor? num à proximo examine, vel die, vel etiam hebdomade profectum, vel defecatum sentio.

4. Dolor.

Quàm ingratus sum ego erga te ô Deus! sic abutens bonitate tuâ erga me, doleo de his, & omnibus lapsibus meis purè propter te. Ignosce, indulge, & supple per te.

5. Propositum.

En paratum cor meum ad omne beneplacitum tuum perfectius in hoc N. exequendum: perfice gratiâ tuâ desiderium meum: qui dedisti scire, & velle; da, & facere.

PRAXIS IX.

Respondet Industriæ IX.

BENEDICTIO BREVIS.

Benedicite R. Deus. Nos, & ea,
quæ sumus sumpturi, benedict
dicat Pater æternus, Amen. Pater
noster.

Gratiarum Actio.

Laus Deo, pax vivis, requies
defunctis, tu autem Domine
miserere nobis. Pater noster, &c.
Deus det Ecclesiæ suæ pacem, no
bis, & benefactoribus nostris suam
gratiam, & post mortem vitam
æternam. Et beata viscera Mariæ,
quæ portaverunt æterni Patris Fi
lium.

PRAXIS X.

Respondet Industriæ X.

De Recreatione.

Ante Colloquium.

Fone Domine custodiam ori
meo, & ostium circumstantiæ

labiis meis. Non declinet cor meum in verba malitiae. ps. 140.

Ad sis mihi Domine Deus meus qui dixisti. Ubi sunt duo , vel tre congregati in nomine meo , ib sum in medio eorum, Matth. 18.

Post Colloquium visitatio

Ven. Sacramenti.

Eadem formula , quæ supra praxi
4. in fine de communione spiritua-
li, & praxi 2. de oblatione matu-
tina locum habere potest, item infra
praxi. 15.

PRAXIS XI.

Respondet Industriæ XI.

De Examine generali.

Gratiarum actio pro beneficiis.

O Clementissime Deus , quid retribuam tibi pro omnibus , quæ retribuisti mihi ? ab æterno me dilexisti , & ut spero ad æternam gloriam me prædestinasti.

Crea-

Creasti me, cùm non essem, & postquam perieram, homo pro me factus Filius tuus, sanguine suo me redemit. In tempore porrò merita ejusdem tam copiosè mihi applicasti. Ad cognitionem tui, veraque fidei lumen in Ecclesia Catholica me adduxisti, in ea etiam conservasti, in eaque tot naturæ, & gratiæ donis usque in hanc horam me benignissimè locupletasti. Denique hoc die etiam me immerenter, & ingratum tot corporalibus, & spiritualibus, maximè istis NN. beneficiis cumulasti, à multis, & gravibus peccatis, periculis, & pœnis commeritis misericorditer præservasti, liberasti. Pro his, & aliis pluribus, etiam mihi incognitis donis, próque tua infinita bonitate, quam agnosco, veneror, & glorifico, te ô Clementissime Pater, laudo, benedico, & ex toto corde, quæ possum, gratias ago, atque in gratiarum actionem infinita merita,

ta, & obsequia Filij tui unà cum
meritis, & gratiarum actionibus B.
Maria Virginis, ac omnium SS. Di-
vinæ Majestati tuæ offero, unicè
optans, & rogans, ut semper gra-
tum me exhibeam.

Petitio Luminis.

PEr eandem Charitatem tuam
misericordissime Pater digna-
re cæteris beneficiis tuis etiam hoc
addere, ut mentis meæ tenebras
gratiâ tuæ visitationis illumines,
affectum voluntatis inflammes, &
corrobores ad cognoscendum, ex-
piandum, & emendandum, quid-
quid cogitatione, verbo, opere,
omissione, ac præsertim contra
meum examen particulare hodie
peccavi.

Discussio Conscientiæ.

1. **Q**uomodo se habet meum
examen particulare?
v. supra modum praxi 8.
2. **Q**uid

2. Quid ab ultimo examine quomodo cunque deliqui?
3. Quid boni intermisī, ad quod vel obligatus, vel bonam occasionem nactus eram?
4. Qua intentione, & perfectione mea consueta opera peregi?
5. Quas tentationes, & malas inclinationes in me sensi?
6. Quibus mediis has imperfectiones expiare, & deinceps commendare potero?

Dolor de peccatis.

OPATER misericordiarum! quid retribui tibi pro dilectione tua, nisi peccata, negligentias, ingratitudines? Utinam nunquam te offendissem, nec offenderem posthac in æternum? Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Doleo de his NN. maximè etiam, quæ contra examen particulare deliqui, & aliis omnibus peccatis, negligentiis, & oftenzionibus meis

pro

propter te infinito amore , & honore dignum , quem his offendit . Propitius esto mihi peccatori , o Deus summè amabilis , quem amo nunc , & diligo super omnia , & ex hoc ipso tui amore te offenditum ex animo doleo , & erubesco .

Propositum , & Petitione .

CUpio , proponóque seriò emendare omnia hæc peccata NN . & præsertim , quæ contra meum examen particulare commisi : statuóque emendare his NN . mediis . Perfice , & confirma o Deus meus hoc tam imperfectum desiderium meum . In satisfactionem peccatorum meorum , & ad impetrandam gratiam tuam offero tibi pretiosam passionem , mortem , & universa merita unigenti Filij tui , & ejusdem S. Matris , ac omnium Sanctorum . Amen .

Pater noster , Ave Maria , vel Psalmus miserere mei Deus &c. vel Hymnus Ambrosianus , Te Deum laudamus .

Re-

Remedia ad emendationem.

- I. Firmum propositum s^æpe , & maximè manè renovatum.
- II. Fuga occasionum , societatum, aspectus, curiositatis audien-
di, loquacitatis, &c.
- III. Primæ temptationis propul-
satio per orationem , vel appella-
tionem Nominis JEsu, vel signum
S. Crucis , vel propositam Christi
crucifixi imaginem , vel illa ver-
ba : *Per Immaculatam Conceptio-
nem libera me Virgo Maria,* &c.
- IV. Sedula Verbi DEI auditio,
& piorum librorum lectio ; nec
non abstinentia à libris vanis , &
lascivis.
- V. Consideratio præsentiaz DEI,
& Angelī Custodis.
- VI. Dura corporis tractatio.
- VII. Fuga otij, & honesta men-
tis & corporis occupatio.
- VIII.

VIII. Memoria Novissimorum,
& beneficiorum DEI , & Passionis
Christi , & exemplorum Divinæ
Justitiæ in talia dilecta.

IX. Frequens usus Sacramen-
torum.

X. Examen particulare ad vitia
extirpanda , &c.

PRAXIS XII.

Cùm Industria duodecima proxi-
distincta è prioribus non egeat : spe-
ctat hæc praxis adhuc ad Indu-
strialiam undecimam , quâ docetur pia
compositio ad somnum per preces
nocturnas.

Preces nocturnæ post Exa-
men conscientiæ.

TE lucis ante terminum ,
Rerum Creator poscimus ,
Ut pro tua Clementia
Sis Præsul , & Custodia.

Pro-

Procul recedant somnia,
 Et noctium phantasmatæ,
 Hostemque nostrum comprime.
 Ne polluantur corpora.

Præsta Pater piissime,
 Patrique compar unice,
 Cum Spiritu Paraclito,
 Regnans per omne sæculum,
 Amen.

Salva nos Domine vigilantes,
 Custodi nos dormientes, ut vi-
 gilemus cum Christo, & requiesca-
 mus in pace. Dignare Domine no-
 ñe ista sine peccato nos custodire.
 Miserere nostri Domine, miserere
 nostri.

Fiat misericordia tua Domine
 super nos, quemadmodum spera-
 vimus in te.

Domine exaudi orationem
 meam.

Et clamor meus ad te veniat.

O R E M U S.

Visita quæsumus Domine habi-
 tationem istam, & omnes in-
 si-

fidias inimici ab ea longè repelle,
 Angeli tui Sancti habitent in ea,
 qui nos in pace custodiant, & Be-
 nedictio tua sit super nos semper.
 Per Dominum &c. Amen.


O Domina mea Sancta Maria,
 me in tuam benedictam fidem
 ac singularem custodiam, & in si-
 num misericordiæ tuæ, hac nocte,
 & in hora exitus mei quoad ani-
 mam, & corpus meum tibi comen-
 do; omnem spem, & consolatio-
 nem meam, vitam, & finem vita-
 meæ tibi committo, ut per tuam
 sanctissimam intercessionem, & per
 tua merita, omnia mea dirigantur,
 & disponantur opera secundum
 tuam, tuique Filij sanctissimam
 voluntatem, Amen.

TUæ tutelæ me hac nocte com-
 mendo ô Sanctissime Angele
 Custos, cui me usque custodien-
 dum Divina Bonitas commenda-

vir. Duc quæso cœcum , igno-
rantem instrue , imbecillum con-
forta , errantem reduc , pigrum
impelle , dormientem excita , gra-
dientem promove , & extremam
illam , difficilēmque luctam , quæ
cum dæmonibus , & morte ipsâ
futura est , mihi felicem procura,
Amen.

OMnes Sancti orate pro me , ut
ab eo merear adjuvari , &
salvari , qui vivit , & regnat in sæ-
cula sæculorum , Amen.

Benedicat , & custodiat nos o-
mnipotens & misericors Do-
minus , Pater , & Filius , & Spi-
ritus S. Amen.



F

PRA-


P R A X E S
H E B D O M A D A R I Æ,
 aut MENSTRUÆ.

Correspondentes eodem ordine Industriis hebdomadariis, aut menstruis.

P R A X I S XIII.

Pro Confessione Sacramentali.

*Ante præparationem. Petitionis
Luminis.*

Domine JESU Christe, vera mundi Lux, illuminans omnes, qui in tenebris, & umbra mortis sedent, illumina per S. Spiritus tui gratiam, cor, & conscientiam meam, ut perfectè, quidquid Divinæ Majestatis tuæ oculos offendit, recognoscere, & illud veri cordis contritione, humili confiteatione, & dignâ satisfactione evanire valeam: qui vivis, & regnas cum Deo

Deo Patre, in unitate ejusdem Spiritus S. Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

EXAMEN PECCATORUM
Contra DEUM.

NUm dubiis contra fidem cogitationibus deliberatè inhæsi?

Num diffidentiæ, aur pusillanimitati inordinatæ succubui?

Num blasphemis, aut aliis minus rectis de Deo cogitationibus locum dedi, num etiam verbis, & quomodo, ac quoties?

Num contra votum, vel jurementum aliquod deliqui, qualiter, & quoties?

Num sine necessitate, vel male juravi, vel aliquid execratus sum, & quomodo?

Num preces sub peccato debitas neglexi, vel deliberatè sub iis diu distractus fui?

Num alias consuetas preces omni, aut distractè, & negligenter persolvi?

Contrate ipsum.

NUm superbus fui, magni me, & mea faciendo, alios contemnendo?

Num vanam gloriam quæsivi, acceptavi: num ejusmodi complacentias habui?

Num ad laudem propriam quid egi, num jacetabunda verba locutus sum?

Num intemperans in cibo, & potu fui, tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem, nimiam aviditatem, vel extra tempus aliquid sumendo?

Num cogitationibus in honestis curiosius inhæsi, num deliberatè delectatus sum, vel etiam assensum dedi in opus, & quale, & cum quo personarum genere?

Num idem feci visu, auditu, sermone, tactu, & quomodo, quâ causâ, cum quo?

Num injustè aliquid contra
præ-

præceptum , vel votum paupertatis
accepi , dedi , & cuius pretij?

Num mentitus sum?

Num impatiens fui?

Num otiosas cogitationes , ser-
mones , & actus commisi?

Num tempus malè impendi?
aut alia bona omisi , &c.

Contra alios.

Num quid contra Parentes , vel
Superiores deliqui , & in quo
genere peccati?

Num odium contra proximum
habui , quamdiu?

Num aversas cogitationes con-
tra proxium fovi?

Num reipsâ nocumentum affer-
re volui , & quale?

Num impræcatus aliis sum ma-
lum , & quale? num deliberate , &
seriò , vel ex subita passione , aut
consuetudine?

Num agnominia , convitia , aut
alia mordacia dicta intuli proximo,

ac cum gravi contumelia , vel ei
gravi odio ?

Num improperavi, irrisi, subsan-
navi proximum?

Num contendi , vel contentio-
num, & discordiae causa fui?

Num verberibus excepit?

Num temerè suspicatus sum de-
liberatè, & in re gravi?

Num temeraria Judicia itidem
deliberatè habui, & an in re gravi?

Num detraxi proximo in re
gravi, occultâ , & cum ejusdem in-
famia? num tales detractiones au-
divi libenter, vel earum causa fui?

Num causa fui alterius peccati,
& qualis, & an scienter?

Num ex invidia de alterius bo-
no tristatus, vel malogavisus sum,
& quali?

Post Examen.

Actus perfectæ Contritionis.

Domine mi IEsu Christe, verus
Deus, & verus homo, Crea-

tor

tor, & Salvator meus, doleo ex
 toto corde meo, quod te offendere im,
 quia tu Deus meus es,
 quem amo super omnia; firmi-
 terque statuo nunquam post hac
 peccare, sed omnes peccandi oc-
 casiones devitare. Propono quo-
 que peccata mea confiteri, pœ-
 nitentiam, quæ injuncta fuerit,
 exsolvere, & si quid alicui de-
 beam, restituere. Amore etiam
 tui remitto injuriam à quocunque
 mihi illatam. Insuper ad expianda
 peccata mea, offero Majestati tuæ
 vitam, labores, & bona opera mea
 universa. Utì verò humillimè pec-
 catorum meorum remissionem ef-
 flagito, ita confido ab infinita Bo-
 nitate tua, per merita Sanctissimæ
 Passionis, sanguinis, & mortis
 tuæ, ea mihi remittenda, præ-
 standam etiam gratiam, quâ vi-
 tiam meam emendem, & in san-
 ctissimo servitio tuo in finem per-
 severem, Amen.

Ante Confessionem Sacramentalem.

Suscipe hanc confessionem meā piissime, ac clementissime Domine Iesu Christe, unica spes mea salutis, & da mihi obsecro contritionem cordis, & lacrymas oculis meis, ut defleam diebus, ac noctibus omnes iniquitates meas, de quibus propter te offendit ex animo doleo. Aufer per hoc Sacramentum pœnitentiæ grave onus peccatorum meorum. Largire mihi Spiritum humilitatis, & veritatis, quo omnia peccata mea Sacerdoti Ministro tuo perfectè, sicut in conspectu tuo nihil eorum latere potest, detegam, atque ab eodem, virtute hujus Sacramenti absolutus, ad obsequium mandatorum tuorum, & obedientiam revertar. Qui vivis, & regnas, &c.

In Confessione.

In nomine Patris, &c. Benedic Pater. Confiteor Deo omnipotenti.

tenti, B. Mariæ semper Virginis, &c. omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere. Speciatim autem ab ultima Confessione, quam peregi à N. diebus, me accuso.

Sequitur Confessio, quā absoluta dicatur.

DE his, & aliis meis peccatis, quorum non recordor, dico meam culpam, meam culpam, meam maximam culpam. Ideo precor B. Mariam semper Virginem, &c. omnes SS. & te Pater, orare pro me apud Dominum Deum nostrum, petoque salutarem pœnitentiam, & absolutionem.

Sub absolutione similes aspirationes elicunt possunt.

OJESU Deus cordis mei, quām bonus fuisti erga me, quām ingratus ego ad te. Ignosce, & propitiūs esto mihi misero peccatori. Doleo purè propter te, quod unquam offenderim te infinito hono-

re, amore, obsequio dignissimum.
En nunc paratum cor meum ad
omne beneplacitum tuum. Lava
me in sanguine tuo à peccatis meis,
& super nivem dealbabor, &c.

Post Confessionem.

SIt tibi Domine, obsecro, meritis SS. Passionis, ac mortis tuæ,
& B. Mariæ semper Virginis Matris
tuæ, ac omnium SS. grata, & accep-
pta ista confessio mea, ut, quidquid
mihi defuit, nunc, & aliàs de suffi-
cientia contritionis, de puritate, &
integritate Confessionis, suppleat
pietas, & misericordia tua, & se-
cundùm illam digneris me habere
pleniùs, & perfectiùs absolutum in
cœlo. Da mihi ex nunc integrum
& puram mentem, simplex, & re-
ctum propositum, ut sanus factus
non amplius peccem! ne deteriùs
mihi aliquid contingat? sed potius
(quod unicè cupio) ut nihil dein-
ceps in tota vita mea quæram, aut
con-

concupiscam aliud, quam quod animæ sit utile, ac Divinæ Majestati tuae imprimis placeat, Amen.

PRAXIS XIV.

Pro Recollectione, & inspectione sui statūs.

Petitio Luminis.

MIsericordias tuas, Domine, in æternum cantabo, qui me toties pretioso tuo sanguine, & SS. Sacramentis abluisti. O utinam te Deus animæ meæ nunquam offendisse, & tempus acceptabile in tuo servitio integrè, & perfectè collocasse. Hoc si haec tenus (utì doleo) non feci, jam certè id deinceps unicè desidero. Proin ne in antiquas recidam miserias, & defectus, sed potius ut sequenti hebdomade, mense, imò totâ reliquâ vitâ in novitate vitæ tecum ambulet, jam statum, & latebras animæ meæ, juva me lumine gratiæ tue

perscrutari, ut, quod in me malignum, corrigam: quod imperfatum, perficiam: quod verò bonum reperero, cum gratiarū actione tibi omnis boni fonti in acceptis referam, & per te conservem, ac absolvam: fac ô Domine Deus meus, ut vitæ meæ rationes instituam, ordinem, ad sanctissimæ tuæ voluntatis beneplacitum, Amen.

Puncta Examinis.

1. Quæ peccata, & quos defectus, ac imperfectiones hoc octiduo (vel mense) potissimum commisi, & quomodo deinceps ab iis me præservabo?

2. Quibus temptationibus, aut malis inclinationibus, & periculis obnoxium me sensi: quomodo occurrentum?

3. Quarum maximè virtutum penuriâ labore; & cui præcipue in meo examine particulari invigilabo:

4. Quomodo perago mea exercitia spiritualia erga Deum:

5. Quomodo obsecro proposita mea, & num actiones consuetas juxta suprà positas Industrias instituo?

6. Quos bonos instinctus, motus, & alia singularia beneficia hoc odiuo (vel mense) à Deo accepi, quo fruatu, & cooperatione mea?

Ad singula puncta convenientes affectus eliciendi, gratitudinis, si bene; doloris, si male rem meam constitutam reperero. Totum examen sequitur hæc, vel similis oratio.

O Domine Deus miserator, & misericors, qui custodis padum, & misericordiam servis tuis, gratias tibi ago, quia dignatus es indicare mihi statū animæ meæ, & voluntatem tuam. Exaudi, quæso propter gloriam Nominis tui depreciationem meam, ut defectus istos NN. meos, de quibus vehementer doleo, emendare, ac pia desideria ista NN. perficere pos-

sim, ut magnificetur Nomen tuum
usque in sempiternum. Suscipe
illa obsecro, & opera mea in unio-
ne meritorum Filii tui, & omnium
Sanctorum tuorum: dispone de me
vilissima creatura tua secundum,
beneplacitum tuum. Resigno me.
& projicio totum in te, omniaque
accepto à manu tua paterna, ac
toto corde te diligere, & tibi servi-
re desidero. Jube, quod vis, & da,
quod jubes.

*Alia Oratio D. Thomæ Aquinatis
Pro Reformatione vitæ.*

Concede mihi misericors Deus,
quæ tibi sunt placita, diligen-
ter, & ardenter concutiscere, pru-
denter investigare, veraciter agno-
scere, perfectè adimplere, ad lau-
dem, & gloriam Nominis tui. Or-
dina statum meum, & quod à me
requiris, ut faciam, tribue, ut sciam,
& da exequi, sicut oportet, & ex-
pedit saluti animæ meæ. Da mihi
Do-

Domine Deus, inter prospera, & adversa non deficere, ut in illis non extollar, in istis non deprimar, de nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducatur a te: nulli placere appetam, vel displace cere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi Domine, omnia transitoria, & chara sint mihi omnia tua propter te, & tu Deus meus super omnia. Tædeat me gaudij, quod est sine te, nec cupiam aliquid, quod est extra te. Delectet me Domine omnis labor, qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ est sine te. Frequenter da mihi Domine cor ad te dirigere, & in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me Domine Deus obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fitione, hilarem sine dissimulatione, tristem sine dejectione,

ne, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine præsumptione, proximum corrigere sine elatione, ipsum ædificare verbo, & exemplo sine simulatione. Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat à te curiosa cogitatio; da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorsum obliquet sinistra intentio; da invictum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vendicet perversa; & violenta affectio. Largire mihi Domine Deus, intellectum te cognoscentem; diligentiam te quæridentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter exspectantem, & fiduciam te finaliter amplectentem, tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in vita uti per grā.

gratiam, & tandem tuis gaudiis in patria perfungi per gloriam. Qui vivis, & regnas Deus in saecula saeculorum, Amen.

P R A X I S XV.
Pro Communione Sacramentali.

*Ante Communionem sub sacro cum-
primis locum habent ea , quæ praxi
4. tradidi circa initium sacri , &
spiritualem Communionem ; Tum aliæ
de S. Communione orationes (uti passim
babentur) recitari , vel quod ferè o-
ptimum est , iidem affectus , qui post
Communionem , elici possunt , mutata
solum temporis differentia .*

*Sub sacra Communione Aspiratio-
nes similes .*

1. Dominus meus , & Deus meus .
2. Dilectus meus mihi , & ego illi .
3. Quid est homo , quod mem-
or es ejus , aut Filius hominis ,
quoniam visitas eum ?

4. Quid

4. Quid mihi est in cælo, & à te
quid volui super terram, Deus cor-
dis, mei, & pars mea Deus in æternū.

5. Domine tu scis, quia amo te.

6. Quis me separabit à charita-
te Christi?

7. Ego autem in Domino gau-
debo, & exultabo in Deo JESU meo.

Post Ss. Communionem.

Praxis decem affectuum
juxta Industriam XV.

I. *Fidei.*

ERgōne Redemptor meus Fi-
lius Dei, & B. Mariæ Virginis
Dominus meus JESUS Christus se-
dens ad dexteram Patris jam animæ
meæ tecum ipsem subiit, & me-
cum, imò intra me verè præsens
commoratur? ita sanè. Id equi-
dem firmissima fide teneo, & credo
tibi. Veritas ineffabilis, quòd tu
idem, qui in utero à Virgine con-
ceptus, in stabulo natus, in cruce
pas-

passus, mortuus es, & jam ad dexteram Patris sedes, quoad corpus, & animam tuam sacratissimam cum omni plenitudine gratiarum tuarum mihi, & in me adsis. Obstupecite cœli super hoc, quis enim tu? quis ego? &c.

2. *Religionis.*

FAteor ô colende, adorande, tremende, Majestatem tuam majore cultu, & reverentia dignam esse, quām ut ab ulla creatura, etiā ab ardentissimis Seraphinis, quin & Religiosissima Matre tua satis co*ui* possit. Quām parum igitur à me præstari poterit? Nihilominus quo possum submissionis affectu te omni honore, cultu, & obsequio dignissimum agnosco, adoro, & reveror, unicéque opto, ut Nomen Sanctum tuum à me, & omnibus creaturis omni, quo fieri potest modo, agnoscatur, colatur, adoretur, & benedicatur cum omnimoda no-

nōst i subiectione , & recognitione
colendissimæ tuæ D. Majestatis.

3. *Gratitudinis.*

Quid porrò tibi ô liberalissime Redemptor retribuam pro omnibus, quæ retribuisti mihi, à primo jam conceptionis meæ momento ad hoc usque momentum? imò à tota æternitate, quâ me sic dilexisti, & ut spero, ad gloriam æternam præordinasti, in tempore verò sic me redemisti ; sic redemptionem tuam applicâsti, vocando me ad fidem S. Catholicam, ad hunc N. statum, & tot alia, ac tanta specialia mihi conferendo beneficia, imò temetipsum tum alias, tum hodie in hoc SS. Sacramento cum omnibus thesauris tuis communicando! agnosco, suspicio, laudo, & benedico hanc tuam ineffabilem Bonitatem ; & pro his, aliisque omnibus donis, próque infinita gloria tua , quas possum, gratias ago,

ago; & in gratiarum actionem pro innumeris, & maximis beneficiis sumprimis SS. Matri tuæ, huic N. cuius festum hodie agimus, Santo, omnibusque electis, ac tandem etiam mihi collatis, hoc ipsum sacrificium laudis, & hanc SS. Sacramenti sumptionem in memoriam omnium mirabilium tuorum offero, id unum exoptans, ut ego, & omnes alij debitas gratiarum actiones, & laudes semper referamus.

4. *Amoris.*

ET quomodo te non amem ô suavissime, ô gratiosissime hominū Amator, cuius deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Gaudeo. exulto de omni gloria tua, de omni perfectione tua; & utinam ab omnibus, ut par est, agnoscereris, & amareris: utinam Sanctissima tua voluntas, & beneplacitum tuum ab omnibus, acceptaretur, adimpleretur: in me certè ut voluntas tua

tua fiat , ex toto corde , anima , mente , & omnibus viribus amore tui ardentissimè desidero .

5. Oblationis.

SUscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam intellectum , atq; voluntatem meā. Quidquid habeo , vel possideo , & mihi largitus es , id tibi totum restituo , ae tuæ prorsus trado voluntati gubernandum. Placet , quod promisi , quod vovi , Amorem tui solùm cum gratia tua mihi dones , & dives sum satìs , nec aliud quidquam ultrà posco.

6. Contritionis.

OQuàm serò te amavi Deus cordis mei , quàm serò te amavi , sed neque híc mea substitit ingratitudo. Insuper & toties , & tantopere offendì hanc ipsam tuā amabilissimam Bonitatem à te nunc quam vel in minimo offensus , imò maxmis

mis semper beneficiis affectus. Agnosco, erubesco, detestor hanc meam omnem ingratitudinem, doleo te unquam à me, vel ulla creatura offendum, quem in omnibus amo, & ab omnibus amari jam, & deinceps super omnia eflagito. Dimitte ô Domine, nec ulterius permitte, ut à me, vel alio quoquam offendaris.

7. Spei.

NULLAM quidem ô Justissime Deus meretur summa mea indignitas à te gratiam. Sed ut in omnino in me, & meis meritis diffido, ita nihil ominus infinita bonitate, ac misericordia tua fretus ad te confidenter venio, qui nulla indignitatis meæ habita ratione, prior ad me venire hodie dignatus es, non ut officium Judicis, sed misericordissimi Patris, & Medici sanacientis, potentis, & volentis, omnes infirmitates meas exerce-
res

res , & me , quibuscumque vellem ,
gratiis locupletares . Qui enim te-
ipsum mihi dedisti , quomodo non
omnia quoque tua lubens , ac vo-
lens , mihi communicabis ? Unde
ô clementissime Deus , ac Domine ,
hujus SS. Sacramenti virtute spero
promissam in novissimo die resusci-
tationem , & gloriam quoque sem-
piternam , cuius Hodie pignus , &
arrham accepi . Spero quoque re-
missionem peccatorum per hunc
panem vivificantem , & à morte
peccati præservantem : spero o-
mnia gratiæ tuæ auxilia , ut sumpto
hoc pane ego sim (per charitatem)
in te , & tu in me , & non moriar in
æternum .

8. Petitionis.

Hac spe fretus non abscondo ,
sed cum omni fiducia expo-
no tibi ô mise icordissime Redem-
ptor omnes miserias , & necessitates
meas , omnem indigentiam , & pau-
per-

pertatem meam. Ecce his NN. la-
 borodefectibus, his non rarò oppri-
 mor NN. temptationibus , his NN.
 exagitor periculis , &c. Sana Do-
 mine animam meam, & omnes has-
 ce spirituales infirmitates. Veniat
 invicem tecum in me tua profun-
 dissima humilitas , tua suavissima
 mansuetudo, tua virginea, & plus-
 quam angelica castitas perfectissi-
 ma obedientia, paupertas, & rerum
 temporalium , ac mundanarum
 contemptus , &c.

Da mihi Fidei, Spei & Charitatis
 augmentū , perseverantem item in
 tuo sancto obsequio affectum , per-
 severantium in sancta tua Fide, hoc
 N. statu , in gratia tua cum omni
 perfectione Christiana (Religiosa,
 Sacerdotali) & filiali. Transfor-
 ma me totum in te , ut jam non vi-
 vam ego , vivas vero tu in me, ô
 Christe JESU , pars mea Deus in
 Eternum.

9. *Charitas proximi.*

Non solum autem pro me, se & pro omnibus, pro quibus me vis orare, & quos omnes in viscribus tuis ô Suavissime JESU amplector, te rogo, & obtestor per Charitatem tuam, ut pro cuiusvis indigentia auxiliarem & beneficiam tuam manum omnibus & singulis porrigerem digneris. Commendo tibi ô amatissime Domine universam cum primis Ecclesiam, & omnem status tam Ecclesiasticos, quam sacerdtales, singulaque ejus membra cum primis summum Pontificem, Episcopum Diocesis, Imperatorem Reges, & Principes Christianos, & istas NN. personas, istas NN. necessitates, &c. Proponantur hinc pro cuiusque libitu, & charitatet am communem, quam private aliorum in communione, vel particulari nominandorum necessitates, cuius fusio rem formula u. apud Christ. Mayer in Enchir. 1.

dust. p. 3. c. 15. §. 6. & p. 2.c.5. §. 5.
 n. 2. Orabitur hic etiam pro defun-
 tis, & persolventur eae preces, quæ
 una cum S. Communione vi quarun-
 dam Indulgentiarum requiruntur.

10. Invocatio B. V. & SS.

O Regina Sanctorum omnium
 Mater Dei, & Virgo Maria,
 unâcum S. Angelo Custode, SS. Pa-
 tronis meis electis omnibus, pro his
 obtainendis, & in sacrificium laudis,
 & gratiarum actionis perpetuæ, pro
 omnibus beneficiis sanctissimæ Hu-
 manitati dilecti Filij tui, tibi, ele-
 & omnibus, & mihi à Divina Bo-
 nitate collatis, præterim per hoc
 SS. Sacmentum, ac conferendis in
 æternum, offer eidein dilecto Filio
 tuo, tua, & omniū SS. desideria, ob-
 sequia, & merita in unione Sanctis-
 simorum suorum meritorum cum
 hisce rapidis meis desideriis, & im-
 perfectis obsequiis: & ora pro no-
 bis

bis cum tota Curia cælesti grati illi æternas decantans.

O vos omnes SS. Patroni mei SS. Angeli, Patriarchæ, Propheta Apostoli, Martyres, Confessores Virgines, cunctique electi benedite, laudate, superexaltate, magnificate Domini um mecum, misericordias Domini in æternum cantantes:

Benedicite omnia opera Domini Domino, &c. ut est in officio a Laudes. Vel Te Deum laudamus &c. Vel Gloria in excelsis Deo. Vel psalmus 102. Benedic anima mea Domino, &c.

Modus salutandi maximè coram SS. Eucharistia, SS. Christi Vulnero & se, ac alios in ea commendandi.

I. **D**Ulcissime IESU, adoro vultus Manus tuæ dextræ. Mihi quæso victoriam de meis & gratiam extirpandi ex corde meo omnia vitia, inclinationes

las. Recomendo tibi in hoc vulnus universalem sanctæ Ecclesiæ statum, conversionem infidelium, & reductionem ad eandem omnium hæreticorum. Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

II. Patientissime JESU adoro vulnus manus tuæ sinistræ. Rogo te, da mihi patientiam in omnibus adversitatibus, largire mihi fortitudinem in extremo vitæ momento, & gratiam evitandi mortem æternam. In idem vulnus tuum sacro-sanctum commendō tibi tuos utriusque sexūs fideles. Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

III. Amabilissime JESU, adoro sacratissimum vulnus pedis tui dextri. Da mihi quæso gratiam, progrediendi semper in melius in viatuorum sacratissimorum mandatorum, in operibus bonis, & augmendo omnium virtutum, secundum tuam sanctissimam, & Divinam voluntatem. In idem sacratissimum

vulnus commendō tibi omnes Ecclēsiasticos, & utriusque sexūs Religiosos. Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

IV. Benignissime JEsu, adoro sacratissimum vulnus pedis tui sinistri. Obsecro te, libera me ab omnibus periculis, tam animæ, quam corporis, & da mihi gratiam effugiendi omnia peccata, & peccandi occasiones. In idem vulnus sacratissimum recomendo propinquos, amicos, inimicos, & omnes omnino, pro quibus orare teneor. Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

V. Amabilissime, & misericordissime JEsu, indignissimus ego in tuo conspectu peccator, adoro vulnus sacratissimi lateris tui. Oro humillimè, ut ardentissimo tuo amore me incendas, ut omni inordinato affectu ad quascunque creaturas derelicto, tu solus semper cor meum inhabites. Comiendo huic sacratissimo vulneri

tuo omnes animas, quæ in purgatorio detinentur. *Pater noster, &c.*
Ave Maria, &c.

Potest ibic modus exerceri, vel tempore S. Communionis, vel sub Missa, vel ad visitationem Venerabilis Sacramenti, vel etiam coram Crucifixi imagine.

P R A X I S XVI.

Pro audiendo Verbo DEI.

Ante Concionem.

Munda cor meum, Domine, ut semen Verbi tui cadat in terram bonam, & fructum afferat etiam centesimum. Desidero illud in mansuetudine suscipere devotè, tanquam edita tua; & salubriter velut æger medicinam propono mihi applicare, ac similiter exequi ad honorem, & gloriam Nominis tui.

Sub Concione.

LOquere Domine, quia audit
servus tuus. Doce me facere
voluntatem tuam, &c.

Post Concionem.

EN Domine, hæc est voluntas
tua. Sed non est volentis,
neque currentis, sed tui Deus mi-
serentis. Da itaque quod jubes, &
jube, quod vis. Propono hoc N.
tali tempore facere per gratiam
tuam, Amen. Veni Sancte Spiritus,
reple tuorum corda fidelium, &
tui amoris ignem in eis accende,

PRAXIS XVII.**De Cultu Festorum.***Exercitium pro die Dominica.*

OPater misericordiarum, & De-
us totius consolationis, quam
magna, & multiplex tua est in me
bonitas, ac misericordia, quam mi-
hi hac insuper hebdomade in te
be

beneficiis corporis , & animæ liberalissimè exhibuisti , cùm tam paternè me conservâsti , à tot periculis , & malis eripuisti , præservâsti , tot gratiis , & inspirationibus illuminâsti ; inflamâsti ; ac in omnibus meis actionibus ita providè , & amanter me direxisti , duxisti . Benedico te ô Deus meus , & cum omnibus electis tuis te laudo , glorifico , & in gratiarum actionem universa eorundem obsequia , ac cum primis unigeniti Filij tui , & ejusdem S. Matris merita supplex offero , cum iisdem obsequia uniens mea licet pauca , & imperfecta hujus imprimis diei , quo cum sancta Ecclesia memoriam creationis , & reparationis meæ religiosissimo simul , & gravissimo animi affectu recolere desidero .

O si tibi Creatori , ac Domino meo , quem ex toto corde super omnia diligo , hac præterita hebdomade , imò totâ vitâ meâ studiosè ,

& perfectè serviissem ; & nullâ etiâ
minimâ offensâ in te deliquissem :
sed agnosco tempore , & ingratitu-
dinem meam , tum aliâs semper,
tum hoc tempore commissam . E-
rubesco , & doleo . Ignosce , &
miserere mei , secundùm magnitu-
dinem misericordiæ tuæ , respice
Creator meus in opus manuum
tuarum . Restaura illud ô glorio-
se Redemptor per sanctam Resur-
rectionem tuam . Perfice ô Spiri-
tus S. Paraclite per gratiam tuam .
Firmiter ex nunc statuo , ac propo-
no , hunc cumprimis diem , & to-
tam subsequentem hebdomadem ,
imò & totam reliquam vitam in
tuo servitio prorsus impendere :
omnia peccata , præsertim hoc N.
sedulò devitare , in omnium virtu-
tum , præsertim hujus N. exercitio ,
quos possum , progressus facere .
Ac proin omnes cogitationes , de-
sideria , verba , actiones , aduersa ,
prospera universa hujus diei , &
heb-

hebdomadæ , quin & totius vitæ ,
offerō tibi in unionem meritorum
dilectissimi Filij tui Domini mei
Iēsu Christi , ejusdem gloriosæ
Matris , ac omnium Sanctorum ad
laudem , & gloriam Nominis tui , in
memoriam , & gratiarum actionem
Creationis , Redemptionis , & om-
nium beneficiorū mihi , & omni-
bus collatorum , uti & in remissio-
nem , ac satisfactionem omnium
peccatorum meorum , & aliorum :
denique ad impetranda à tua Di-
vina Bonitate hæc NN. mihi , &
aliis dona , & gratias : pro quibus ,
uti & pro executione horum
omnium desideriorum , & propo-
sitorum meorum humillimè te ro-
go , ut sicut dedisti velle , des etiam
perficere , per eundem Dominum
nostrum Iēsum Christum Filium
tuum , qui tecum vivit , & regnat
in unitate Spiritus S. Deus , per o-
mnia sœcula sœculorum , Amen .

Exercitium pro Cultu alicujus Sancti in ejusdem Feste.

Clementissime Deus, pui inexhaustos Bonitatis, Sapientiae,
& Omnipotentiæ tuæ thesauros
cum primis super unigenitum Filiu-
tuum, & per hunc super ejusdem
Benedictam Matrem, omnésque
Electos, ac speciatim etiam super
hunc Sanctum N. cuius hodie fe-
stivam recolimus memoriam, effu-
disti: ego te benedico, laudo, glo-
rifico, ac quas possum maximas gra-
tias ago Divinæ Liberalitati tuæ
pro omnibus donis, & beneficiis
huic Sancto N. & per illum etiam
mihi, aliis, totique Ecclesiæ colla-
tis; atque in gratiarum actionem
offerо tibi ejusdem S. Ecclesiæ,
ac mea omnia obsequia, oratio-
nes, aliaque devotionis exercitia,
quæ per tot sacrificia, & varia
pietatis opera in debitæ servitu-
tis obsequium tibi unde quicque
hodie exhibentur.

Agno-

Agnosco hinc ô Domine , tuam infinitam Majestatem à me nungquam satis colendam ; inde verò meam , ac meritorum meorum sumam indignitatem in comparatione gloriosi hujus S. N. ejúsque perfectissimorum obsequiorum tibi ab eo exhibitorum , in quorum proin unionem omnia mea quantumvis tenuia merita , & obsequia , seu potius illius ejusdem S. N. tibi offero ; in iisque tuam infinitam Bonitatem , Sapientiam , & Omnipotentiam agnosco , suspicio , colo , & amplector .

O utinam hujus Sancti N. vestigiis insistens earundem virtutum , N. spiritualium donorum ad laudem , & gloriam Nominis tui ego quoque particeps fierem , quibus ille in hac vita claruit , & tam studiosè tibi semper deservit . Scio Domine , quòd non sit abbreviata manus tua , quin imò id ipsum tu me desideras , & ideo etiam tam

pretiosa gratiarū Charismata huic
Sancto N. contulisti , ac festivo
hoc die recolenda Ecclesiæ tua
inspirasti , ut imitari non pigeat ,
quod celebrare delectat , paratus
quoque copiosa gratiæ tuae auxi-
lia per ejusdem Sancti N. inter-
cessionem conferre .

Hac igitur spe fretus supplex
per ejusdem Sancti N. merita , ac
patrocinia te rogo , obtestorque
pro eadem abundantि gratia tua.
Da mihi benignissime Deus hujus
Sancti N. inconcussam fidem , spem
firmam , ardentissimam tui , & pro-
ximi Charitatem æmulari . Con-
cede mihi illius profundam humi-
litatem , constantem in adversis
patientiam , & mansuetudinem , re-
rum temporalium , ac mundana-
rum conceptum cum generosa
voluptatum abdicatione sectari.
Da mihi imitari ejusdem omni-
modam resignationem , & sanctam
conformatitatem cum Divina ti-

Vo-

Voluntate ; denique has speciatim
NN. virtutes , quibus cum primis
indigeo : ut tandem cum eodem
Sancto N. ejusdem post hanc mor-
talem vitam consors coronæ , &
gloriæ effici merear. Per Domi-
num , &c.

Ad Sanctum.

O Beatissime , ac gloriosissime
Sancte N. gaudeo, exulto , &
gratulor tibi omnem gloriā tuam ,
quā post præclarissima virtutum
merita jam æternūm frueris. In
gratiarum actionem offero hodie
Domino Deo tuo , & meo , non tam
mea solūm , ut quæ tenuia sunt , &
imperfecta , quām oblata cupio to-
tius Ecclesiæ pia obsequia , sacrifi-
cia , aliāque omnia devotionis ope-
ra , quibus gratam meritorum , vir-
tutūmq; tuarum comemorationem
hodie facimus. O si easdem , quas
in te suspicio , colo , veneror , vir-
tutum actiones imitari , quām pro-

ximè possem! Supple defecum, & infirmitatem meam ô Sancte N. & per tuam intercessionem, cui optimus Deus, qui glorificantes se glorificat, hoc præsertim nuptiali tuo festo die nil negare poterit, impetrat mihi has NN. gratias, & virtutes, ut in hac vita actionum tuarum sedulus æmulator, in altera verò æternæ gloriæ tuæ confors effici merear, Amen.

PRAXIS XVIII.

Pro usu Indulgentiarum.

Domine JEsu Christe: tantis tibi debit is ob peccata mea sum obstrictus, ut ex me non possim satisfacere: ideoque in illorum satisfactionem, ex inexhausto thesauro meritorum tuorum, tuæque sanctissimæ Genitricis, & Sanctorum omnium, Indulgentiam à te per Vicarium tuum concessam lucrari cupio, & unà animabus Purgatorii applicare.

IN

INDULGENTIAE
Sodalibus Marianis con-
cessæ.

Compendium Indulgenciarum.

Ex Bulla Gregorii XIII.

Indulgencie Plenariae.

Si confiteantur, communicent :

1. Die admissionis ad Sodalitatem.
2. In articulo mortis.
3. In festo Titulari Congregacionis.
4. In Nativitate Christi, & Ascensione.
5. In festis B. V. Annuntiationis, Assumptionis, Conceptionis, Nativitatis.

Item Gregorius XIII. in Bulla confirm. Sodal. 10. Septemb. 1577. concedit Indulgencias 20. annorum iis, qui alium docuerint aliquid eorum, quæ in Sodalitatis libello continentur.

In-

Indulgentiae unius anni

1. Quoties Sodalium, vel aliorum corpora ad sepulturam comitantur; vel si impediti fuerint, dum auditō signō campanæ pro viatico, vel sepultura, genuflexi (si potuerint) semel Pater & Ave pro infirmo, vel anima defuncti recitaverint.
2. Quoties cœtibus Marianis tum publicis, tum privatis intersunt.
3. Quoties officiis Divinis intersunt.
4. Quoties exhortationes sacras, aut pia colloquia audiunt, aut Conventum frequentant.
5. Quoties die feriato Missam audiunt.
6. Quoties conscientiam suam examinant.
7. Quoties infirmos, vel incarcertos, vel pauperes in hospitalibus visitant.
8. Quoties pacem inter inimicos conciliant.

9. Quo-

9. Quoties Litanis intersunt, Sabbatho, Festis, & Vigiliis.
10. Quoties audiunt decantari Psalmum Miserere per Quadragesimam in templo Soc. JESU.
11. Quoties Officium B. Virginis recitant.
12. Quoties dicunt Coronam B. V.

Compendium Indulgentiarum Stationum Urbis Romæ.

Propè quotidie sunt variæ Indulgentiæ, quas lucrari quoque poterunt ex speciali privilegio Sodales, si puri à peccato mortali, saltem per contritionem, dicant septies Pater & Ave in templo Societatis JESU, ubi habetur, secus in alia quacunque Capella.

Indulgentiæ Stationum plenariæ.

- Anuarij 1. quinques. 2. 6. bis.
7. bis. 8. 9. 10. 11. 12. 13. bis. 15.
16. 17. 18. bis. 20. 21. bis. 22. 24.

25. 26. 27. bis. 28. 31. bis. Ultima Dominica mensis bis.

Februarij 1. bis 2. & 3. bis. 4. 5. ter.
6. 7. 8. 9. bis. 22. 24. ter. 26.

Martij 7. & 12. bis. 19. 20. ter. 21.
24. 25. quater. 26. 27. 28. 29.
30. 31. Singulis diebns Veneris
hoc Mense.

Aprilis 1. bis. 2. 3. 5. 23. bis. 24.
25. 29. ter.

Maij 1. quinquies 2. 3. quater 4. bis
5. 6. ter. 7. 8. ter. 9. 10. bis 12.
bis. 14. 19. 20. 21. 31. Quavis Do-
minica Mensis, & ab 8. hujus us-
que ad 1. August. quotidiè ter.

Junij 2. 11. 13. 14. 15. 24. bis. 28.
29. ter. 30. Quavis Dominica
Mensis plenar. & quotidiè ter.

Julij 1. 2. ter. 3. 4. 5. 6. bis. 7. 8. 9.
14. 15. 17. bis. 18. 20. 21. 22. ter.
23. 25. ter. 26. 27. 28. 30. Et
quotidiè ter.

Augusti 1. & 2. bis. 3. & 4. bis. 5. &
6. quater. 7. 8. bis. 10. 11. 12. ter.
13. 14. bis. 15. septies. 16. bis. 17.
&

& 8. bis. 19. ter. 20. bis. 21. ter.
22. bis. 23. 24. quater. 25. 28. 29.
bis.

Septembris 1. 7. 8. octies. 9. 10. ter.
11. 12. 13. 14. quinquies. 15. bis.
16. 17. 18. 19. 20. bis. 21. quin-
quies. 27. 29. ter. 30.

Octobris 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 14.
18. bis. 23. 28. bis.

Novembris 1. 2. quater. 3. 4. 5. 6. 7.
8. bis. 9. 10. 11. bis. 19. 21. bis.
22. 23. 24. 25. 30. quater.

Decemberis 2. 4. 5. 6. ter. 7. bis. 8.
quinquies. 9. 10. 11. 12. 13. bis.
14. 15. 21. & 24. ter. 25. 26. ter.
27. quater. 28. 29. 30. bis. 31.
quater.

Diebus supra notatis semel in-
telligitur concessa indulgentia ple-
naria, ubi aliis numerus non est
expressus.

Insuper ad quodvis sacrum ex
tribus Natalis Domini.

Pridie Paschæ & Pentecostes,
festo corporis Christi, itemque in
dub.

ipsis his festis, & per singulorum octavas quotidie.

Festo Ascensionis, Transfigurationis Domini, itemque SS. Trinitatis.

Primâ Dominicâ cuiusvis Mensis, & triduo quatuor temporum per Adventum.

Item Dominicis Adventus, Septagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, & totius Quadragesimæ.

Primâ Dominicâ post Pascha.

Omnis seria quarta, & Sabbatho totius anni.

Die Cinerum, & triduo sequenti.

Primâ septimanâ Quadragesimæ quotidie, secundâ, excepto die Lunæ.

Penultima & ultima septimanâ quotidie.

Indulgenciarum Stationum

non plenariæ.

Quotidie 60,8. annorum Indul-

dulges tias, totidem quadragenas
& remissionem tertiarum partis pecca-
torum Sodales obtinent, insuper
100. aut plurium annorum omni-
bus Dominicis per annum, singu-
lisque diebus, per totam Quadra-
gesimam & Adventum. In Pascha-
te & per octavam. Diebus Rogati-
onum; & quatuor temporum.
Festo Ascensionis, & ab eo usque
ad Kalendas Augusti. Præterea
diebus:

Januarij 1. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

14. 16. 17. 21. 22. 27. 28. 31. Item
secundâ Dominicâ post Epiph.

Februarij 1. 2. 3. 5. 9. 22. 24. 26.

Martij 7. 12. 21. 25.

Aprilis 1. 3. 5. 9. 23. 25. 28. 29.

Maij 1. 3. 9. 12. 13. 19. 20. 21. 31.

Junij 1. 2. 15. 22. 24. 26. 28. 29. 30.

Julij 2. 9. 20. 21. 23. 24. 27. 28. 29.
30.

Augusti 1. 8. 10. 11. 12. 13. 14. 15.
16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 24. 28.

A festo Assumptionis Deiparæ

usque ad ejus Nativitatem quotidie
12000. an. & remissionem tertiarę
partis peccatorum.

Setembris 8. 14. 16. 20. 21. 27. 29.
30.

Octobris 4. 28.

Novembris 1. 2. 3. 4. 5. 6. 18. 19.
21. 22. 23. 24. 25. 26. 20.

Decembris 2. 4. 5. 6. 7. 8. 13. 24.
25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.

In omnibus festivitatibus Deiparae 1000. ann. à festo Annunciationis usque ad Kalendas Augusti quotidie 12000. ann. Totidem quadragenas & remissionem tertiarę partis peccatorum.

Sodales liberare possunt animam ex purgatorio, visitationum sequentibus diebus.

Januarij 27.

Februarij 2. & 3.

Maij 6. bis, si bis sint praescripta.

Julij 24. sed eo die recitandum Rosarium pro Summo Pontifice.

Sep.

Septembris 8. & die Sabbathi quatuor temporum.

Novembris 2. & 30.

Decembris 27. Dominicā septuagesimā & quinquagesimā.

In Quadragesima.

Post II. Dominicam Invocavit.

Die Martis, Mercurij, Sabbathi.

Post II. Dominicam Reminiscere,
die Martis, Mercurij, Jovis, Veneris, Sabbathi.

Dominica III. Seu Oculi , & Sabbatho sequenti.

Dominica IV. seu Lætare.

Dominica V. seu Passionis , & die Veneris ac Sabbatho sequenti.

Dominica VI. seu Palmarum , & die Parasceves , seu Veneris sancto ac Sabbatho sancto.

Pascha , die Mercurij post Dominicam Resurrectionis.

Pentecoste, die Martis , Jovis, Sabbathi, post Dominicam Pentec.

Dominica SS. Trinitatis omni fe-

riâ quartâ, seu diebus Mercurij
per totum annum.



P R A X E S EXTEMPORANEÆ.

Respondent itidem eodem ordine
suprà positis Industriis, & pro data
occasione, ac tempore, modò proli-
xiùs, modò succinctius exerceri pos-
funt. Illis certè omnes nostræ actio-
nes, miris modis ad augmentum
Divinæ gloriæ, & proprij meriti fœ-
cundantur, remansuræ alias sine
iis perquam aridae, & steriles.

P R A X I S XIX. Actionum, & Virtutum erga D E U M. Fidei.

O Infallibilis, & æterna & viri
Veritas Dominus meus,
Deus

Deus meus, toto animo amplector
hoc fundamentum Fidei, & corde,
ore, ac opere profiteor, ac cre-
do propter tuam infallibilem au-
thoritatem omnia, quæ dixisti, re-
velasti, & credenda proposuisti,
mediante S. Ecclesia, præsertim ea,
quæ continentur in Symbolo Apo-
stolico, firmissimè protestans, me
velle vivere, & mori in hac, imò &
pro hac omni veritate. Cupio
etiam, ut universus mundus te ve-
rum Deum, & quem misisti, JESUM
Christum agnoscat, credat, & con-
fiteatur. Adauge benignissime
hanc eandem mihi Fidem, & fac:
ut non deficiat fides mea.

B R E V I U S.

Credo, & firmissime assentior
huic symbolo, vel huic N. Articu-
lo, quia tu ô æterna infallibilis Ve-
ritas Ecclesiæ tuæ revelasti.

Spei.

O Potentissime, misericordissi-
me, fidelissime DEUS, per
H 2 hanc,

hanc , & propter hanc eandem Omnipotentiam, misericordiam, & fidelitatē tuam infallibilem , quā mihi misericorditer , & potenter vitā æternam , & omnia ad eam necessaria promisisti , spero , & à te solo per auxilium gratiæ tuæ , & bona opera, quæ mediante eadem speciali gratia tua statuo facere , consequi desidero , & efflagito vitam æternam aliáque ad ejus consecutionem necessaria : unde ex hac eadem fiducia spero veniam peccatorum meorum , & vires ad superandas omnes difficultates in hac vita occurrentes , contra quas animum meum erigo tuā ô Deus fidelissimā & misericordissimā nixus omnipotentiā. Fiat misericordia tua Domine super nos , quemadmodum speravimus in te. In te Domine speravi, non confundar in æternum, Amen.

B R E V I U S.

Spero Domine hanc N. ian
vel hujus N. successum per auxiliū

lium gratiæ tuæ , quia non est impossibile apud te omne verbum.

Charitatis.

AMABILISSIME Domine Deus , summè gaudeo de tuis infinitis perfectionibus , & attributis , quòd solus tu sis , qui es summum infinitum bonum N. utinam ego cum primis , & omnes unà mecum te , ut par est , agnoscant , colant , ament , magnificent . Suspicio , ve- neror , amplector amore tui omne beneplacitum tuum , & ad omnem Voluntatem tuam me paratum , & expeditum offero : servire tibi u- nicè desidero propter infinitam Bonitatem tuam : & amore hujus omnia mea opera , affectus , & desi- deria ex nunc tibi dono , & dedico , ut iis te solum quæram , te solum amem , & sanctissimam tuam volun- tatem adimpleam . Quod ut clem- entissimè confirmes , dignanter acceperes , & gratosè in me perfi- cias , humillimè rogo .

B R E V I U S.

O Amor, & Deus meus, & omnia! nil peto, nec amo extra te. Propter te, qui es omne bonum meum, & amore tui hoc N. tibi offero, ut in eo tuum adimpleatur beneplacitum.

Actus Religionis.

O Deus infinitæ Majestatis, ecce ego omni, quâ possum submissione, & humilitate positus coram tua Divina Majestate, agnosco me creaturam, te verò universorum absolutum Dominum, dignissimum, qui pro tali ab omnibus agnoscaris, honoreris. Hac eadem infima cordiali submissione excellentissimam Majestatem tuam adoro, tibique quam possum reverentiam omnem, & honorem exhibeo, in omnibus præsertim devotionis exercitiis, quibus infinitam tuam excellentiam, inde omnitudinem mei subjectionem, & a te de-

pen-

pendentiam contestatem volo, &
intendo.

B R E V I U S.

Supreme rerum Domine, in re-
cognitionem immensæ tuæ Maje-
statis, meæque tibi debitæ servitu-
tis, hunc N. agnum, hoc N. opus
Religionis, vel devotionis offero.

Præsentia Divinæ, & Amoris.

Summē, immense, timende, &
tremende Domine! considera-
ns hinc tuam imensam Præsen-
tiam omnia implantem, penetrantem,
comprehendentem; inde ve-
rò tuam infinitam Majestatem, in
cujus conspectu tremunt omnes
spiritus etiam cælestes, totus con-
fusus coram te, descendō, & fugio
in abyssum nihili mei, magnopere
timens, ne te offendam, & separer
à Divina gratia tua, sicut aliis mul-
tis evenit, eò quod in conspectu
tuo non redere ambularent.

B R E V I U S.

Providebam Dominum in con-
spectu meo semper , quoniam à
dextris est mihi , ne commovear ,
psalm. 15. Confige timore tuo
carnes meas , à judiciis enim tuis
timui. Psalm. 118.

Resignationis.

Sanctissime Deus, ac Providentissime Domine ; Voluntas tua
est regula omnis Justitiae, & Santitatis : es infinitè sapiens, potens, &
bonus. Ergo toto cordis affectu
revereor , laudo , amplector. 1.
Quidquid per te , vel superiores
meos mihi præcepisti, præcipis, præ-
cipies. 2. eodem affectu patienter
accepto , quæ mihi , vel aliis imise-
ris , vel permiseris ferenda , ac to-
leranda in bonis externis , famæ ,
vitæ, & quorumcunque bonorum ,
3. Reverenter quoq; exoscular, &
fuscipio omnia tua judicia decre-
ta , permissiones , & omnem circa
me,

me, aliōsq; ordinationē in divisio-
ne donorum naturæ, gratiæ, & glo-
riæ, atque in his omnibus desidero
amori tui honoris, & bencplaciti
perfectissimè voluntatem meam
cum tua, in qua solūm mihi com-
placeo, & quiesco, conformare.
Quare te rogo, ut de me, meisque
disponere velis, quomodo, & quan-
tūm tibi placet ad majorem tuam
gloriam. Da, quod jubes, & jube,
quod vis.

B R E V I U S.

Domine in hoc N. quod me vis
agere, vel pati; vel quod imittis;
aut permittis; non mea, sed tua
voluntas fiat.

Zeli.

Domine Deus Zelotes justissi-
me honoris tui, qui gloriam
tuam alteri non das, sanctificetur,
obsecro, Nomen tuum, pro cuius
honore, & gloria augenda, & glori-
ficanda me tibi totū offero, & con-

H 5

secro

secro. Doleo, & summè crucior,
te tam parùm, & à tam paucis agno-
sci, coli, amari, quin etiam tot, &
tam enormibus peccatis offendì.
Da Domine Deus propter gloriam
Nominis tui mihi, & omnibus ube-
rem gratiam perfectissimè tibi ser-
viendi, itaque te amandi, ut non
amplius te offendamus, sed perpe-
tuò te laudemus, & amemus, ut
Angeli, & Sancti tui faciunt in cæ-
lo. En paratum cor meum ad o-
mne tuum Ministerium, quod lu-
bens, & gaudens amore gloriæ
tuæ, & salutis animarum, juxta
sanctissimum tuum beneplacitum
aggredior. Ecce ego! mitte me.

B R E V I U S.

Propter gloriam, & honorem No-
minis tui, O Deus meus, & salutem
proximi, hunc N. laborem, hoc N.
opus, hanc N. molestiam tibi lu-
bens, volens, offero, sanctificetur
in hoc N. Nomen tuum.

PR

P R A X I S XX.

Actionum erga B. V. Ma-
riam & Sanctos.

*Praxis se manè , & vespere Dei-
paræ commendandi jam suprà træditæ
est ; uti & Sabbathina opera eidem
consecrandi , & ejusdem dies festos
colendi , Rosarij item recitandi . Su-
persunt aliæ Industriæ hic decla-
randæ.*

Praxis salutandi ter in die B. V.
ad campanæ pulsum.

Angelus Domini nuntiavit Ma-
riæ , & concepit de Spiritu S.
Ave Maria &c.

Ecce Ancilla Domini , fiat mihi
secundum Verbum tuum . Ave
Maria , &c.

Et Verbum Caro factum est , &
habitavit in nobis . Ave Maria , &c.

Subiungi potest Oratio.

Gratiam tuam quæsumus , &c.

Vel

Benedictus sit Deus Pater , qui

me creavit, unigenitusque Dei Filius, qui me redemit, Sanctus quoque Spiritus, qui vocavit me, & fecit mecum misericordiam suam. Ex te enim, & in te, & propter te sunt omnia, Deus meus, & omnia.

O R A T I O.

Pro Dono Castitatis ad B.

Virginem.

O Sanctissima Virgo, & Mater Maria! mundissimum puritatis speculum, & purissimum Virginitatis Exemplar: Ego N. ex intimo te imitandi desiderio, & amore Castitatis accensus, firmiter propono me, quoad vixero, nullis unquam inhonestis cogitationibus, aut desideriis scienter inhæsurum, aut consensurum, neque unquam aliquid cogitatione, verbo, opere, vel quovis alio modo facturum, aut permissurum, quod castitati adversum intelligam: & hæc omnia ad majorem Dei gloriam, anima que meæ salutem.

Tc

Te igitur ô castissima Virgo, ego
indignissimus filius, per tuam Vir-
ginitatem rogo, mihi impetres à di-
lectissimo Filio tuo gratiam, & au-
xilium, ut, quod verbis offero, ope-
re præstem, & sincerus semper Ca-
stitatis, & constans pietatis amator
existam, donec tandem ad cælestes
Filij tui nuptias admittar, suavissi-
mis castorum epulis reficiendus in
cœlis, Amen.

*Protestatio, & propositum retinenda
castæ mentis.*

EGo N. coram castissima Virgine
Maria, Angelo meo Custode, &
tota cælesti Curia tibi, Deus cor-
dis mei, quem ubique præsentem
agnosco, & sanctè veneror, me
sisto: ac protestor, me nolle un-
quam consentire, non modò faci-
nori committendo, sed ne cogitan-
do quidem, quamcumvis adversa-
rij vim inferant; detestor, ex-
cor omnes istas fæditates, ac spur-
cias. Adeste, ô Maria, ô Angele

mi, Patronique castitatis meæ, túque voluntatem meam confirmā
ō bone J E s u , quod per sanguinem tuum, supplex precor, Amen.

AFFECTUS PRÆCIPUI
Ad invocandam, & colendam suis
temporibus Misericordiæ Matrem.

Ex

Laurentio Chiffletio S. J.

I. Fides de Deiparæ præsentia.

Certissimè credo, ô Regina gloriæ, te ad Solis æterni radios,
apertissimè despicerem omnes animi te implorantis affectus. O felicem deprecationum mearum prærogativam, quod tibi, quæ eas audis, quam mihi, qui eas concipio, clarius innotescant. Ave Maria.

II. Affectus Pœnitentiae Charitate perfectæ.

Coram Filio Mariæ de meis delictis ingemisco; quibus omnibus ex parte absolutam, atque infinitam ejus Bonitatem perfidiosus offendit; quam nunc ex animo præ-

omnibus bonis amo, & amare statuo. Omnia & singula mea criminia sciens, ac volens summo odio detestor, & coram te Servatoris mei Optima Matre, illi ipsi Domino, quem alias læsi, fidele, ac perpetuum obsequium debere me profiteor, & cum ejus auxilio exsolvere decerno. Ave Maria.

III. Sanctæ animi demissionis.

Virgo, cui veritas vel in capitulis rei lingua placet; non nego me omni supplicio dignum, omni indignum beneficio. Noxam meam suppliciter, atque ingenuè fateor esse atrocem. Atque hæc ipsa est ratio, cur in causa mea deploratissima talem, qualis es, Patronam mihi coner adsciscere. Ave Maria.

IV. Reverentiae.

Salve Domina omnium, quæ Conditor fecit, refecit Assertor. Salve Mater auctoritate apud Deum, & favore quodammodo omnipotens, versalis beneficiorum Filii

lij Administra. Agedum potentissima, flecte oculos ad venerabundum famulum, aliquid à te, tuis opibus, tuaque magnificentiâ dignum, petere parantem. Ave Maria.

V. *Gratiarum actionis.*

PRO tanta, quam adeò sæpè ex-
pertus sum, liberalitatis tuæ
profusione, ô exuberans meorum
omnium bonorum scaturigo, pro-
tot gratiis, quarum vix minimam
partem novi, quid rependam, nisi
ex intimis medullis effusa grati a-
nimi signa? Sincerè profiteor, me
universa corpore, atque animi bo-
na Mariæ ferre accepta: neque me
hoc unquam nomine posse exsolvi:
cùm ea omnia, quæ posthac etiam
spero, ad eandem æris alieni mei
sortem accessura sint. Verùm quām
illud mihi fortunatum est, ô Cre-
ditrix suavissima! quòd solvendo
sim semper futurus impar: ut me
tibi nexum tradam, perpetuísque
amoris tui vinculis ob nomira
nou

non dissoluta captivus obstringar.
Ave Maria.

VI. Amoris.

AMo te propter Deum , tam
Dilectam à Deo meo. Amo
te propter Deum tam amantem
Dei mei , tibique omnes spirituum
creatorum amores opto. Ad fe-
licitatis , gloriæ tuæ recordatio-
nem totus gaudiô colliquesco. Ni-
hil mihi graviùs hujus corporis
sarcinâ, quâ præpeditur animus, ne
ad te in tuo splendore spectan-
dam , colendámque avolet. Quid
plura de impetu mei erga te amo-
ris eloquar ? plura dicere tentan-
tem ipsa tanti amoris suavitas elin-
guem facit , tacitóque ardore de-
pascitur. Illud unum mihi est sa-
tis , Formosa mea , Cælestis mea
Rosa , sancta meæ mentis oblecta-
tio, ac sensuum stupor, quod, quan-
ti te faciam, quantum te amem,
quantum amare velim ; ipsa nôsti.
Ave Maria.

VII.

VII. Fiduciae.

DA mihi, ô Mater pulchræ dilectionis, amore Filij tui; da perennem in eo amore constantiam. Prospice vili servulo tuo: imple desideria mea: quod in corpore ad meam salutem, ad Filij gloriam mihi necessarium vides, benigna manu suffice. Boni consule, si sapientius urgeo, non quasi benevolentiae tuæ diffidens, sed ut tibi gratum faciam, quæ maximè importunos flagitatores amas. Mater, & millies Mater, omnia vota mea, omnes meas curas tibi ex animo trado. Ave Maria.

DE CULTU SS. PATRONORUM.

Praxis colendi Sanctos maximè Patronos, jam suprà suis locis tradita est, uiri patet ex Industria 20

Ad Litanias de omnibus SS. atten-
tē, & devotē recitandas hæc
non parūm juverint.

In iñiō statue te coram Deo, ac
Curia Cœlesti, & pete à B. Vir-
gine amorem Dei; ab Angelis pu-
ram intentionem; ab Apostolis obe-
dientiam: à Matyribus patien-
tiā; à Confessoribus paupertatem;
& à Virginibus castitatem. Ad illa
verba; libera nos Domine, cogita,
quām multa mala te circumstent,
& pete liberari. Ad Te rogamns,
vide, quām multis egeas, eaque po-
stula à fonte omnis boni tibi præ-
sente,

P R A X I S XXI.

Actionum erga Defunctos.

*Post pulsū vespertinū ad saluta-
tionē Angelicā.*

DE profundis clamavi ad te
Domine: Domine exaudi
orationem meam.

Fiant aures tuæ intendentēs in
vocem deprecationis meæ. Si

Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eū Redemptio.

Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

O R A T I O

Fidelium Deus omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarū remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

*Aliæ præxes, defunctorum concernentes
et in memoriâ traditæ.*

P R A X I S XXII.

Actiolum erga Superiores.

I. Observantiae.

R Ex Regum, ac Domine Domini nantium Deus ! Ecce ego infinitam Majestatem tuam non solum in te meipso , sed & in omnibus Personam tuam , vel ratione originis, vel ratione officij, & potestatis à te acceptæ , vel ratione cuiuscunq; excellentiæ repræsentantibus, colo, veneror, & adoro . Hinc cum primis Parentes meos singulari pietatis cultu ; hinc omnes Prælatos, & Superiores , exactò obedienciam obsequiô ; hinc demum omnes quacunque sapientiæ , virtutis, aut alterius singularis doni prærogatiæ conspicuos , peculiari obseruantæ affectu prosequor , suspicio , & revereor ; & externis quoque debitis

bitæ pietatis, obedientiæ, & obser-
vantiaæ testimoñiis exhibere iis-
dem, atque ut ab omnibus simili-
ter exhibeat, ex animo exo-
pto, nihil omnino permisſurus,
quod debitum iis honorem quo-
modocunque infringat, vel immi-
nuat.

2. Obedientiæ.

Eosdem Prælatos, & Superiores
meos veluti tuos, & Filij tui
Vicarios agnosco, & in iis, eorum
que præceptis temet jubentem su-
spicio, & veneror: ac proinde illo-
rum præcepta non secus, atque tua
audiam, ac in omnibus integrè
etiam ad solum eorum nutum
promptissimâ voluntatis affectio-
ne, perfectâ intellectus, & judicij
submissione parebo, ac obediam a-
more ejus, qui pro nobis factus
est obediens usque ad mortem,
scilicet JFsus Christus Filius tuus
in æternam benedictus, Amen.

3. Candoris, & Simplicitatis.

ET quoniam Simplicissime Deus abominaris in universum eos, qui duplii sunt corde, cum simplicibus autem, & rectis sermocinatio tua; idcirco omnibus quidem præfertim vero Superioribus, & Patribus spiritualibus meis me sincerum, & candidum præstabo, detestans etiam, ubi opus fuerit, intimis conscientiæ meæ latebris, ut per eosdem rectius, suavius, & efficacius regar, & ab omnibus periculis præserver.

4. Orationis.

DA porrò Domine Deus iisdem Spiritum principalem, ut ea, quæ sibi, nobisque salubria fuerint, videant, & ad ea, quæ sibi, & nobis agenda cognoverint, convalescant. Pro hoc Spiritu iis impetrando (cùm gratum animum referre vix aliter queam) has tibi N.N. preces, hæc N. opera mea pro iisdem offero.

PRA.

PRAXIS XXIII.

A&ioum erga Proximos.

i. *Charitatis proximi.*

Quoniam ô Amantissime Domine simili præcepto me jubes proximum propter te diligere sicut me, tanquam opera manum tuarum, creaturas, & imagines tuas infinitô Filij tui pretiô redemptas, & Divinorum donorum, quin & æternæ beatitudinis capaces, idcirco quemcunque ex ipsis obdictas causas in visceribus charitatis suscipio, amplector, foveo. Eis ego omnia naturæ, gratiæ, & gloriæ, quæ habent, dona, ex animo gratulor; quæ non habent, & juxta beneplacitum tuum habere possunt, voveo, & exopto: quin &, quo possum modo, hæc eadem iis consilio, auxiliô, procurare, promovere, & perficere juvabo. Absit porrò longissimè à me, ut cuiquam quantumvis mihi infenso, & contra illum extempore,

optem, nedum inferam malum; quin potius eorundem miseriis, & malis cordiali affectu condoleo, & aliud nil efflagito, quam ut iis omnibus vel liberentur, vel certe subleventur. Interim dum hoc fiat, intimo compassionis sensu easdem illorum miseras, morositates, & quascunque molestias misericorditer, & patienter supportabo, tolerabo: quando charitas operit multitudinem peccatorum, quibus & me premi nimirum quantum ipse sentio.

2. Boni Exempli.

CUm autem opera praestent verbis, ut per malas imperfetas meas actiones non blasphemetur Nomen tuum, hinc omni contentione elaborabo, ut luceat lux mea coram hominibus, & videant opera mea bona, & glorificant te Patrem cœlestem horum omnium fontem, & datorem.

3. Zeli.

Quod si insuper quodcumq; misericordiæ, & charitatis obsequium ei exhibere licuerit, nulli ego labori, molestiæve parcam, ut consiliô, adhortatione correptione, vel quovis alio modo lucrer fratre meum.

4. Amicitiæ.

Socialis porrò vitæ ita studiosus ero, ut omnibus partes potiores deferam, & juxta cujusque statūs decentiam, eos quibuscum ago, reverenter, & amicè tractem absq; ullo superbiæ, aut impatientiæ, aut cujuscumque sinistræ de iis opinonis, quam nec mente quidem admittam, signo, indicioque. Et in hoc Charitatis exercitio sic constanter pergam, ut per hanc dilectionem Filij tui Discipulus sim, & agnoscar, te donante per eundem Filium tuum Dominum meum JEsu Christum, qui tecum vivit, &c.

PRAXIS XXIV.

Actionum erga seipsum.

Mortificationis variae.

Domine Deus meus, qui mortificas, & vivificas, quique dixisti per Filium tuum, quod qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: ecce ego amore tui mortificationem Jesu in corpore meo jugiter portare, & carnem meam cum concupiscentijs meis crucifigere statuo.

Unde æternam mihi ab illicitis sensuum, & carnis voluptatibus indico abstinentiā, & cum occasio tulerit, aut beneplacitum tuum suggererit, etiam à concessis, & licitis, quin & corpus meum castigare, & in servitutem redigere allaborabo pœnitentiis tum spontaneis hisce NN. (flagellationum, jejuniorum, cilicij gestatione, &c.) tum ab extra ex necessitate quadam advenienti-

bus, ut ex iniquitate temporum,
malitiâ hominum, & morbidaâ cor-
poris constitutione, quæ omnia for-
titer feram, patienter tolerabo.

Potissimum verò internis animi
motibus, & affectibus compescen-
dis jugem, & sedulam operam ad-
hibeo. Proinde amore tui O
Deus meus, carnis curam ne fece-
ro, sed candidâ, & utinam etiam
Virgineâ, quin & Angelicâ cordis,
& corporis puritate, & mentis meâ
munditiâ; insuper & honestissimâ
cibi, potiusque temperantia, ut tibi
serviam, & ad suaviores, & sanctio-
res delicias, & epulas, famem meâ
hifce quasi porcorum siliquis non
saturandam reservem, toto cordis
affectu à te efflagito.

Minori adhuc desiderio ô Pater
Pauperum Deus feror ad opes, &
bona temporalia, sed iis quoad
possum, & tibi placet, sponte libe-
ré que cum vera spiritus imo & re-
rum (si eò usque me vocare

gnatus fueris) paupertate renun-
tio, ut nudus nudum JEsum se-
quar, quod si id non omnino licet,
in sublevandis certe pauperum mi-
seriis affectum erga te magnum,
modicum verò erga ipsas mihi
concessas opes, liberali mente, &
opere ostendam.

Denique agnoscens extremam
meam hinc quidem vilitatem, &
miseriam; inde humani favoris, &
mundanæ laudis vanissimam incon-
stantiam, & inconstantissimam va-
nitatem, non solum me ipsum pro-
fundissime submitto, & humilio, sed
& humiliari, contemnique, quin
& omni opprobriorum genere af-
fici in votis habeo, amore JEsu
Christi sic humiliati, & acerbissi-
mam mortem mei causâ perpessi.
Rogo te proin ô benignissime Do-
mine, ut eodem tui amore, mihi,
mundo, amoriq; proprio mortuus
vivam, qui amore amoris mei di-
gnatus es in ligno crucis mori. Am.

P R A X I S Ultima.

Respondens Industriæ ultimæ.

Meditatio de morte.

IN præludio primo pone tibi ob oculos mentis duos moribundos, unum bonum, & perfectum Christianum, alterum malum & imperfectum: finge eosdem decumbere in eodem cubiculo, illum quidem ex parte dextra, hunc ex parte sinistra: hos inter tu considera medius, & audi verba Isaiae 38. utrique inclamari: *quia morieris in, & non vives.*

In secundo præludio pete gratiam à Deo, ita meditandi de morte, ut, quo cunque tempore venerit, te nunquam imparatum reperiat.

Considera I. *Quid sit mors?* & expende verba Ezechielis c. 7. *finis venit, venit finis - - ecce venit, nempe hominis illius utriusque Mors, & hora postrema venit; finis gaudiorum venit, venit finis do-*

lorum ; ecce venit finis temporis , quo seu gaudere , seu tristari , aut boni quidpiam promereri possent : utrique , justo & injusto inclama-
tur . *quia tempus non erit amplius.*

Apoc. 10.

Considera II. *Quibus rebus Mors
privet justum , & quibus injustum.*
Utrumque privat divitiis , honorib-
bus , voluptatibus ; utrumque sub-
trahit paupertati , contemptui , dol-
oribus hujus vitæ ; utrumque se-
parat à parentibus , fratribus , soro-
ribus , consanguineis , amicis , & cha-
ris omnibus , sine spe ulla eosdem
in hac vita revisendi : sed heu !
quàm dispari ratione ? magna faci-
litate relinquit omnia justus in
morte , quia cor suum ab iis in vita
abstraxerat : summâ violentiâ di-
mittit omnia injustus , quia cor ip-
sius eisdem sumè affixum tenetur.

Considera III. *Quād certa sit
Mors , & quare ex teipso : an etiam
tu morieris ? qui hæc legis , vel me-*

ditaris? accipe responsum ex Isaia 38. *Hæc dicit Dominus: dis pone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. Morieris certò, quia statutum est hominibus semel mori.* Hebr. 9. Moriuntur homines quotidie; audiſ campanæ pulsus, vides funera: moriuntur alij; & tu morieris; & tibi veniet ille finis; & tu omnibus illis privaberis.

Considera IV. *Quàm incerta sit Mors?* Morieris certissimè; sed quando? sed ubi? sed quo modo? sed in quo statu animæ? in gratia Dei? an in peccato? hoc equidem incertissimum.

Ergo morieris tu? ita: sed quando? quo tempore? fortè hoc anno; fortè hoc mense; fortè hac septima; fortè hoc die; fortè hac hora. Velut fur, horâ, qua non putas, Mors tua veniet. Quid si hodie? quid si hac hora veniret? essésne hoc momento paratus? attende, est negotium maximum.

à momento pendet æternitas : vi-
gila, quia nescis diem, neque horam :
omni tempore fieri potest, ut evo-
ceris in domum æternitatis ; omni
pariter, si sapis, tempore ad eun-
dum paratus esto.

Ergo morieris & tu ? ita ; sed
ubi ? in quo loco ? alius moritur
domi suæ in lecto, in sella, ad men-
sam, ad fenestram, in postremo do-
mûs angulo : alius moritur extra
domum in platea, in templo, in lo-
co sui officij, recreationis, lusûs, in
horto, in agro, in sylva : alius in
itinere, alius in bello ; alius in ter-
ra, alius in aqua, &c. Et tu ubi mo-
rieris ? nescis ? hoc scias ; ubi un-
que es, ibi mori potes ; alicubi cer-
tò morieris ; etiam atque etiam vi-
de, ne te ullo in loco mors impa-
ratum inveniat.

Ergo morieris & tu ? ita : sed
quo modo ? qua morte ? subitaneâ ?
an diuturnâ ? Thomas Kempensis
ait ; quam multi putantes diu vive-

re decepti sunt, & insperate de corpore extracti? quoties audisti a decentibus; quia ille gladiō cecidit; ille submersus est; ille ab alto ruens cervicem fregit; ille manducando obriguit; ille ludendo finem fecit? Alius igne, alius ferrō, alius peste, alius latrociniō interiit. Et quomodo tu morieris? quid si a poplectico fulmine tangereris? usum rationis, vel sensuum amitteres? morte demū subitaneā exspirares? ah cave, differas ad lectulum, ad lethalem morbū pœnitentiam; quia pœnitentia sera raro vera: qui tibi promisit spatium pœnitendi, crastinum non promisit.

Ergo morieris & tu? ita: sed in quo statu? gratiae? an peccati? multi vocati, pauci electi; nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit: Jacob dilexit, Esau autem odio habuit. Quām terribilium omnium terribilissimum sit, in peccato mori; & quām optabilium omnium optabi-

lissimum, , in gratia decedere , se-
quentia puncta docebunt.

Considera V. *Vel potius aspice,*
& ausculta propè emorientem , jux-
ta præludium primum , peccatorem ;
& conformiter primo ac secundo
puncto exclamantem.

Heu me miserum , & æternūm
infelicem ! vitam propè omnem
egi in deliciis, & voluptatibus ; car-
nem meam delicate habui : oculis
& auribus ; linguæ & palato, mani-
bus & pedibus, toti corpori grata
omnia indulsi , negavi nihil : non
erat peccatum , carni & sensibus
meis volupè & jucundum, quod te-
merarius non admisi . Heu quæ &
quanta gaudia solus , & quæ cum
aliis charis meis suscepi ! & ecce !
horum omnium venit finis : non
jam delectat somnus, cibus, potus,
lusus, saltus, honor, numerus, socius,
non ipsa voluptas carnis delectat.
Jam video miser, quia omnia vani-
tas , & afflictio spiritus. Ah amara

mors quomodo separas me , & ab
ripis à charis meis? momentaneum,
quod delectabat, finitur ; æternum,
quod cruciabit , incipit finiendum
nunquam. Ah quantum aberravi
à via Veritatis! vitam illam corpo-
ri perjucundam, putabam esse bea-
tam ; & ecce ! quomodo novissima
ejus ducant ad interitum. Ah
pereo ! juvate, juvate Parentes, fra-
tres , sorores , amici , socij juvate,
pereo ! Ita perire me sinunt, maxi-
mè indigum omnes deserunt , ne-
mo juvat. Desertus ab omnibus
quid faciam ? quò me vertam ? ad
Sanctos , quos nunquam vel tepidè
nimis colui ? ad Angelum Tutela-
rem , quem bene monentem toties
sprevi , & præsentem tot peccatis
offendi ? ad Matrem misericordiæ,
cujus filium me nunquam præstiti ?
ad Christum , quem tam gravibus
peccatis rufus crucifixi ? & quem
jam severum Judicem experiar ? ad
SS. Triadem, cuius tremendam Ma-

festatem toties vilipendi, eīque res
vanas & turpes præhabui?

Væ vae mihi jam soli! non ha-
beo, qui me sublevaret. Misericordia!
pauper! & unicus quid agam? ipse
me juvem? non possum. Et quid
tandem mihi modò prodest tanta
mea pecunia, tanta dignitas, tanta
potentia, tanta doctrina, tanta pru-
dentia hujus mundi? Sola virtus,
sola pietas prodesse posset misero,
sed ubi est? quantum virtutis, &
pietatis exercere poteram sanus, &
vegetus? infirmus adeo & emoriens
possum nihil. O si ex tota vita
præterita in deliciis, & peccatis ex-
acta, vel unicus annus, vel mensis,
vel septimana rediret: quam per-
petuis vigiliis, quam ferventibus
orationibus, quam severis jejuniis,
& carnis macerationibus, quam lar-
gis eleemosynis, tam corporalibus,
quam spiritualibus, ejusmodi tem-
pus pretiosissimum pro Deo, pro
cœlo, pro anima mea transigerem,

omnia peccata fugerem, virtutibus universis vacarem ! Sed quid incassum opto annum, mensem, septimanam ? utinam daretur hora vel unica ex millenis & millenis, quas bene valens, nimiō somnō, vel otio, cibō, vel potu, lusu vel inutili colloquiō, vanis aliis studiis, vel pessimis fortè actionibus perdidi ! ah quanto fervore gratias Deo agerem pro beneficiis in me licet peccatorem collatis ! quanta devotione peterem à Spiritu Sancto gratiam peccata mea omnia agnoscendi, deflendi, & ritè confitendi ! quantâ diligentia cogitationes, verba, & opera examinarem ! quanta intentione & extensione dolorem ac propositum elicerem ! quanta fide, spe, charitate, religione, humilitate, &c. sanctissima morientium Sacra menta susciperem.

Jam vero finis venit, ecce venit; non possum amplius. Corpus totum acerbitate, & vehementia morbi

bi fractum est , ac lassatum ; caput
perturbatur ; oculi cætutiunt ; au-
res obsurdescunt ; lingua ægrè mo-
vetur ; manus concidunt ; pedes
frigent ; membra omnia lethalè su-
dant ; phantasia consuetis imagini-
bus luditur ; memoria planè deficit ;
mens conscientia implacabiliter mor-
det ; voluntas à charis creaturis
violentè abstrahitur , à Deo paulò
post violentissimè abstrahenda.
Actum est mecum ; jam non est
de tempore ; *non possum* : monet ,
audio tantillum , & rogat per omnia
sancta Sacerdos , ut confitear ; *non*
possum : ut parcam inimicis ; *non*
possum : ut restituam aliena ; *non*
possum : ut illam creaturam non
amem ; *non possum* : ut credam in
Deum , sperem , & amem super o-
mnia ; *non possum* : ut doleam de
peccatis , & signa doloris edam ;
non possum : ut invocem Matrem
Misericordiæ ; *non possum* : ut sal-
tem in infinitis meritis Christi , &
pre-

preciosissimo ejus sanguine confidam ; denique non possum : & iustō Dei judicō non possum : quia, dum potui , nolui , dum maximē vellem , non possum . Tempus enim non est amplius ; Mors adeat ; Judge Christus jam fulminat ; fauces inferni patent . Pereo æternūm miser : nunquam in æternum gaudebo ; dolebo , & patiar semper ; quia pecavi nimis . O peccata ! ô socij ! ô æternitas ! ô æternitas ! ô infelix ætenitas ! Ita *Mors peccatorum pessima*. Psalm. 33.

Considera ultimō , & verte jam oculos tuos ad partem dextram , vide , & audi morientem justum . O me beatum , clamat ille , & æternūm felicem ; tandem venit hora optata , millies desiderata venit ! tandem venit finis misericordiarum mundi hujus, tentationum & tribulationum , non amplius erit opus somnō , cibō , potu , non amplius dolebit caput , non oculi , non den-

dentes , non collum , non manus ,
non pectus , non stomachus , non
pedes ; non amplius dæmon , non
mundus , non caro ad peccatum
invitabit ; non allicient prospera ,
non terrebunt adversa ; Finis o-
mnium venit . Ah quām libenter
desero mundi hujus bona , quæ me
subinde in Dei servitio turbārunt !
quantum gaudeo me liberari ab
amicis & sociis , qui mihi tot pre-
tiosas horas suffurati sunt ! valete
amici & socij ; jam obvios habeo
Sanctos Patronos meos , Angelum
Custodem , sanctissimam Virginem ,
ipse Christus adest , & vocat me :
ecce paratum cor meum Deus !
peccavi in vita mea , fateor ! at con-
fessus sum omnia , magno dolore ,
& seriō propositō ; sacrum viati-
cum , & extremam unctionem de-
votè suscepi ; aliena restitui ; inimi-
cis pepercī ; quæ facienda erant ,
fecī , omnia animo præsente & deli-
berato ; nihil me jam angit , nihil
re-

retinet; jam iætus moriar. Gen. 46.
Ecce Domine paratū cor meū; voca
me, dum placet, & ego responde-
bo tibi secundūm magnam miseri-
cordiam tuam. Dicam; credo in
te Domine, ô æterna Veritas! spe-
ro in te ô omnipotens Fidelitas!
amo te supet omnia, ô summa Bo-
nitas! gratias ago tibi, ô infinita
Benignitas! doleo ex corde, quòd
te summum Bonum offenderim:
amore tui libenter morior, tantūm
te amplius non offendam. Non
in meis, quæ defectibus plena sunt,
operibus, sed in meritis Christi in-
finitis, in sanctissimis ejus vulneri-
bus, in meritis & intercessione Vir-
ginis Mariæ, S. Angeli Custodis, &
omnium Sanctorum confido. O
Maria! ô beati este mei Advocati
cum Custode Angelo. Mater Dei
memento mei! monstrate esse Ma-
trem, quia monstravi me filium.
JESU Fili David miserere mei, & o-
stende pro me Patri vulnera tua.
Pa-

Pater respice in faciem Christi tui,
& miserere mei ! ô amor Patris &
Filij, miserere, veni, & fac, ut moriar
in amore perfecto Patris, & Filij, &
Spiritûs Sancti. Resigno plenissi-
mè quoad omnia, & trado me to-
tum in manus Patris Omnipoten-
tis, Filij omnia scientis, & spiritûs
S. me amantis ! ô Sanctissima Trias
quando te perfectè videbo, & ama-
bo ! ô amare ! ô ire ! ô sibi perire !
ô ad Deum pervenire ! credo, spe-
ro, amo, doleo, gratias ago, Pater
in manus tuas comendo spiritum
meum ! JESUS ! Maria ! Joseph !
vestrî amore patior, vestrî amore
morior ; vester sim totus, & nulla-
tenus meus ; JESUS Maria, Joseph.
ô JESU esto mihi JESUS ! ô Maria
esto mihi Mater ! ô JESU ! ô Ma-
ria ! Ita *Pretiosa in conspectu Domini*
mors Sanctorum ejus. Psalm. 115.

Inspice jam te ipsum ; & vide, si
tibi nunc moriendum foret, utrum
um impio, an cum justo decede-
res ;

res: si cum justo? gratias age Deo, profice in virtute; & pete in collo-
quio perseverantiam. Si verò cum
impiō aeternūm infelix abires, sine
mora, dum tempus habes, conver-
tere ad Dominum, confitere, & de-
fle præterita; in futurum efficaciter
meliora propone, & proposita exe-
quere; Vive cum justo, & cum eo-
dem morieris.

Praxis Co[m]unionis Sacramen-
talis & spiritualis reperies suis lo-
eis superiùs.

Praxis extremam unctionem
spiritualiter, ut ita dicam, su-
scipiendi poterit esse, ut sequitur.
Decubitus accipe aquam bene-
dictam, & signa sensus tuos in mo-
dum crucis; dum signas oculos,
contritus ora, & dic: per istam
sacram signationem, & suam piis-
simam misericordiam indulgeat
mibi Dominus, quidquid per visum
deliqui. Amen.

Eodem modo procedes ad au-
res,

Deo,
ollo-
cum
sine
ver-
de-
riter
exe-
eo.
en-
lo-
em
su-
ur.
ne-
no-
os,
am
iis-
eat
um
au-
es,

es, nares, os, manus, pedes, & lum-
os, & orabis similiter v. g. ad au-
res, & in fine orationis dices, quid-
quid per *auditum* deliqui, Amen.
Idem ad reliquas corporis partes
observabis.

Praxes juvandi infirmos, inge-
niosus in proximum amor, si in te
est, affluenter dictabit.

Pro agonizantibus ora quotidie
diligenter, præsertim verò dum
pulsum campanæ pro agonizante
audis, inter cæteras preces tuas at-
tentè & devôtè recita etiam effica-
cem illam orationem, & dic: *Respi-*
ce quæsumus Domine super hanc ani-
mam tuam, pro qua Dominus no-
ster Iesus Christus non dubitavit
manibus tradi nocentium: & Cru-
cis subire tormentum.

Pro fidelibus defunctis utiliter,
& non sine multiplice fœnore offre-
res Deo bonorum operum tuorum
omnium fructum satisfactorium.

Pra-

Praxes colendi sanctos Patronos, S. Angelum Custodem, Beatissimā Virginem, & Christum Crucifixum in libellis precatoriis facile repries. Optimam colendi methodum noveris esse, si virtutes Sanctorum, Deiparæ, & patientis Servatoris imiteris.

Actus denique, quos moriturus elicies, vel saltem elicere optares, longiores invenies in diversis libelli hujus præxibus, præcipue Sacrificij Missæ, sacræ Co[m]unionis, & actionum erga Deum. Breves verò actus fidei, spei, charitatis, &c. habes in punto ultimo meditacionis de Morte; quos ante somnum facile & utiliter cum Justo bene moriente elicere poteris.

H O C F A C,

Et

V I V E S.

Luc. 10.

CUL.

CULTUS FESTORUM

SOLEMNIUM B. M. V.

Festum Immaculatae Conceptionis
MARIÆ.

VIII. Decembris.

Mysterium, Origio Festi.

Hodie agitur memoria illius diei, quô Maria in utero S. Matris Annæ sine labe originaria est concepta. Peculiaris hic erat Dei in Virginem favor, quô futuram Dei Matrem ne momentô quidem Diaboli mancipium esse voluit.

Et potuit utique id facere Omnipotens Deus; & ut faceret, etiam decuit: fecit itaque, & immunem servavit Mariam ab illa culpa, quam Adam, primus hominum parens, prævaricando Dei legem contraxit, & cum illo nos posteri omnes.

Hæc Virginis illibata conceptionem res erat multi dissidij. Hodie animi confessione tota profite-
tur

tur Ecclesia, testantur Sancti Patres, & Concilia, & solida probant rationum momenta: contra quæ pugnare sive lingua, sive calamô, sive clam, sive palam, lege cautum est à Christi Vicariis Paulo V. & Gregorio XV. aliisque.

Nondum tamen id fidei dogma est: nec hæreseos damnandi illi, qui secùs de Virgine sentiunt: quod peculiari Numinis providentia factum putant, ut scilicet habeant Mariani clientes, quo piè, ac sponte credendo suum uberiori us erga Deiparam affectum contestentur.

Cultus immaculatæ Conceptio-
nis antiquissimus est, & sub ipsis
Ecclesiæ incunabulis ab Apostolis
usurpatus: nam à S. Jacobo pri-
mùm in Hispaniam illatus est, &
inde in regna cætera.

Solemnis festivitas tardius esse
cœpit, scilicet sub annum Christi
MLXX. authore Elsino Remensi
Præfule. Luctabatur hic misere-

cum maris fluctibus : at implorata Virginis ope incolmis est eluctatus : nec multò pòst , quod votò tunc promiserat , Immaculatæ Virginis Conceptionem primus festivō ritu Remis celebravit .

Gloriosa hæc initia subinde ampliora reddidit Pap. Sixtus , hujus nom. IV. an. Christi MCCCCLXXVI . Hic festivam hanc celebritatem non paucis concludi regnis , sed universæ Ecclesiæ communem voluit , aut certè stabilivit , largissimis indulgentiis in continuos octo dies impertitis .

Documenta , Cultus .

I. A primo Conceptionis suæ momento absque macula originali fuit Maria. An & tu primævæ innocentiæ florem illibatam tenes ? hic maximus tuus thesaurus est , quem omni studio custodire debes : semel amissum nunquam recuperabis .

II. Maria etiam ab actuali culpa

K

im-

immunis fuit. Quâ curâ tu declinas peccatorum maculas? non est majus in mundo malum, quâ labes peccati gravis: in hoc, ut ne incidas, Deum ora. Præstat millies mori, quâm tali labe contaminari.

III. In Maria ne quidem fomes peccati fuit. An tu etiam extirpas ex animo radices peccatorum? si maculari non vis peccato gravi, corœrce pravos affectus, fuge peccandi occasiones, minimos nævos devita. Non diu eris sine macula, si hæc non præstiteris.

Offer omnia opera tua B. Virginis Mariæ.

Renova propositum de piè credenda & tuenda Immaculata Virginis Conceptione.

Si non horis singulis, sæpius saltem de die corde vel ore dic: per sanctam Virginitatem, & Immaculatam Conceptionem tuam Virgo purissima! munda cor† corpus† & animam meam†.

Ora-

Oratio ad Beatissimam Virginem pro dono Puritatis.

O Regina Virginum , Maria !
amantissima Mater mea ! ecce,
JESUS benignissimus filius tuus,
Virgo, Joannem Virginem , & me
indignissimum, tibi Virgini in filium
adoptavit. Obsecro te igitur
per amorem , sanguinem, & mor-
tem ejus ; suscipe me in filium : quia
filium tuum , & te toto corde dili-
go, atque eligo in Matrem. Imò ,
si placet tibi , cum Betnardino , &
Edmundo tuo, in sponsam animæ
meæ. Malo siquidem mori , quam
cogitatione, verbô, vel opere, ali-
cujus creaturæ illico amore inqui-
nari. Sequi te cupio, & JESUM ,
Agnum, quocunque ierit, in æter-
num ; &, cum Angelo custode meo,
puritatem servare angelicam , jux-
ta statum meum in æternum. Ac-
cipe, & serva, ô dulcissima Mater !
cor & animam, & corpus meum, ti-

bi toto corde dicata in æternum,
Amen.

Festum Nativitatis Mariae. *VIII. Septembris.*

Mysterium, Origo Festi.

Recolit hodie S. Mater Ecclesia memoriam illius diei, quo Maria futura Dei Genitrix mundo nata est, cuius nativitas gaudium attulit Deo, Angelis, & hominibus: quod nata tandem esset illa, è qua mundi salus, & felicitas esset nascitura.

Nata est Maria, ut certior fert opinio, An. mundi 4038. in Nazareth, Galilææ urbecula: dum Rex Herodes regnaret in Iudæa, & Romano præcesset Imperio Octavianus Augustus.

Pater Virginis Joachim fuit, Mater Anna; hæc Bethlehemitis, ille Nazarethes, ambo de tribu Juda, & stirpe David. Erant conspicuū inter suos nobilitate: sed magis amo-

re Dei, & excellis virtutibus prædicti ; toti intenti jejuniis, precibus , eleemosynis : sicut iles tamen, & viginti annos improles.

Sterili nasci thord Deus Mariam voluit, ut purissimæ Virginis ortus tribueretur gratiæ, non naturæ, & quemadmodum S. Damasenus ait : ut hoc miraculo ad miraculorum omnium maximum, scilicet ad incarnationem Dei filii, quædam quasi via sternetur.

De festi hujus origine non eadem omnium est sententia. Sunt, qui cum Baronio cœpisse putant Anno Christi CCCCXXXVI. post Concilium scilicet Ephesinum. Alii id tribuunt Innocentio Papæ IV. Hic à morte Cœlestini IV. contra machinationes Friderici II. Cœfarris in Pontificem ritè electus, statuisse fertur, ut in tanti beneficij memoriam , Natalis Deiparæ festivo ritu ageretur.

Hac opinionum inter se pugnantium

tium diversitate nihil festi hujus antiquitati detrahitur, omnibus enim certum, indubitatumque est gloriosum Virginis Natalem à vestissimis Patribus Græcis, & Latinis peculiari cultu suisse celebatur.

Pro agendis festi hujus solemnitiis diem octavum Septembris Roma delegit, idque, ut fertur, cœlo auctore: ajunt enim anachoretam aliquem eo die audiisse quot annis cœlestes genios, qui lætissimis modulis omnem latè aërem impletrent, & unà intellexisse, Angelorum Reginæ natalem iis lætitiae testimoniis à Superis agi.

Documenta, Cultus.

I. Nata est hodie Maria, futura Dei Mater. Si Mater Dei est, nihil poterit illi negare Deus. Spem ergo omnem post Deum in Maria colloca, ad hanc cum fiducia in omnibus necessitatibus accede. Omnia potes impetrare per Mariam. II.

II. Nata est hodie Maria, futura
etiam tua Mater. An Mariam amas
ut Matrem? an vitâ, & moribus te
probas Mariæ filium? si vis esse Ma-
riæ filius, aut innocens, aut pœni-
tens sis, oportet: non agnoscit illa
filios nisi innocentes, aut seriò pœ-
nitentes.

III. Nativitas Mariæ gaudium
attulit cœlo, & terræ. Quomodo tu
testatum facis tuum gaudium? te-
stare illud constanti pietate in Ma-
riam. Huic te indies in filium of-
fer, illius patrocinium cum fervore
implora, alios etiam ad cultum, &
amorem Mariæ extimula. Sic gau-
dent genuini Mariæ filii.

Sæpius hodie, ac præcipuè dum
surgis, gratulare B. V. de ejusdem
Nativitate.

Hodie, & per octavam & alias
etiam Matrem gratiarum invoca,
dic corde & ore: *Monstrate esse Ma-
trem.* Hoc pium exercitium ma-
xime serviet in afflictionibus, ten-

tationibus , aliisque necessitatibus.

Recitari possent per singulos 9 dies 30. Ave Maria , quot nempe diebus in utero S. Annæ Maria fuit.

Oratio S. Petri de Nolasco ad Matrem Dei.

O Mater , & Domina ! consolatio afflictorum , remedium indigentium , advocata illorum , qui ad tribunal piissimi filii , & judicis nostri causam salutis suæ agunt. O Regina ultra modum compatiens tuis subditis , quæ inter cæcas tenebras itineris es luminosissimus planeta , aurora nostrarum cogitationum , frænum peccatorum , flamma calefaciens nostram tepiditatem ; stimulus ad excitandam devotionem. O Domina sedens super Seraphinis ! ô Mater ! ô Domina mea ! esto Mater omnium. Monstra te esse Matrem per gloriam Om.

Omnipotentis Patris in laudem
tui filij per amorem Spiritus Sancti
sponsi tui.

Festum Præsentationis.

MARIÆ.

XXI. Novembris.

Mysterium, Origo Festi.

Hodie Maria à Parentibus suis
Anna & Joachim in templo
Hierosolymitano præsentata est,
& Dei obsequio dicata. Vix dum
trimula Virgo fuit: & jam ingens
pietatis ardor tenellum pectus cor-
ripuit. Tanta alacritate templi
gradus ascendit, ut volare potius,
quam properare ad Dei obsequium
videretur. Fuit etiam omnium
prima, quæ ad retinendum decus
perpetuæ Virginitatis se votô ad-
strinxit.

Deo dicata vixit in parthenone
annos undecim, in legendis divinis
Scripturis, iisque meditandis so-

Iers, assidua in oratione, in submissionis, modestiaeque studio, in pudore virgineo, cæterisque virtutibus futurâ Dei Matre dignis.

In hoc virtutum studio otium, quam potuit, maximè aversata est. Tempus ab operibus pietatis reliquum labori impendit: didicit quippe stamina ducere ex lana, lino, & serico, pingere acu, conficerem amictus Sacerdotum, & quidquid ad ornatum templi pertinebat.

Tale virgineæ integritatis, pietatis, & solertiæ exemplum usque ad annum ætatis decimum quartum in Maria effulsit: eò usque scilicet, donec sors felicior Josepho obtingeret sancto, maturæque ætatis viro, qui purissimæ Virgini sponsus datus omni cura, ac studiô virgineam sponsam custodivit.

Festivitas præsentatæ Virginis admodum antiqua est, & dudum celebrata in Ecclesia orientali. Lucculenta hujus indicia extant tum in

in Graecorum Menologio, tum apud S. Germanum Constantinopolitanum Patriarcham, qui floruit circa Annum Christi 715. ut videre est apud Surium 21. Novembris.

Subinde ad occidentalem Ecclesiā translatā praecipue floruit in Galliis Anno 1375. sub Carolo V. Francorum Rege, cuius precibus, & insigni pietate permotus indulxit Papa Pius II. ut presentatæ Virginis memoria ab universo regno festivo ritu celebraretur.

A Paulo II. festum hoc calendario est insertum, iterum inde expunctum à Pio V. sed denuò restitutum est à Sixto V. & novo dipломate toto orbe propagatum Anno 1585. adlaborante potissimum Francisco Turriano è Soc. IEsu.

Documenta, Cultus.

I. Triennis fuit Maria, quando obsequio Dei sese dicavit. Disce à

teneris pietati assuefcere , & pri-
mum ætatis florem non mundo,
non voluptatibus , sed Deo conse-
crale. Hoc omni jure à te Deus
poscit , hoc mille titulis tu Deo
debēs.

II. Maria pulcherrimis virtuti-
bus in parthenone effulgit. An imi-
taris illius erga maiores observan-
tiā? assiduum precandi studium?
mores compositos? pudorem virgi-
neum? his Dei , hominūmque a-
morem Maria promeruit : his tu
promereberis multas gratias, & glo-
riam æternam.

III. Maria tempus reliquum ab
operibus pietatis labori impendit.
Disce à Maria fugere otium , quod
dicitur pulvinar diaboli. Nun-
quam sis sine utili labore , quem
purissima intentione ad Deum re-
feras. Sic vitabis multa crimina ,
& cumulabis merita.

Hac die exāminabis , quomodo
te habueris cum Deo , cum proxi-
mo ,

mo, & tecum ipso ; quomodo horas diei impendas : quomodo proposita , aut si quæ habes vota impletas, eadémque hodie renovabis.

Cum Maria te totum dedica divino honori.

Denique Virginem hanc roga , ut ex tuo corde faciat vivum templum Dei, totum, quod illi displaceat, tollendo, ut tandem te admittat in templum gloriæ.

Oratio P. Eusebij Nierembergij.

Domina ! supra omnes titulos , ob quos digna es, ut te ament etiam mille mundi , amo te potissimum ideo, quod id summè placeat Deo meo, & quod tu sic amari velis à me , ut amando te propter Deum, amem ipsum Deum. Suprema Domina ! ecce ego servus , & filius tuus omni submissione , reverentiâ , & amore te prosequi volo ; & per te omnia , quæ ago , offero

Deo meo, à quo per te beneficia omnia in me descendunt. Tu sacratissimis tuis manibus mihi das, quæ mihi mittit Deus; tu iisdem vicissim accipe, quæ reddo, & illa sanguine filii tui elue, pretiosa redde, ac ita offer Deo. Custodi me.

Festum Annunciationis MARIÆ.

XXV. Martij.

Mysterium, Origo Festi.

Gusta hodie recurrit memoria illius diei, quo Gabriel de cœlo missus venit ad Mariam, Virginem piam, humilem, pudicam, tulitque felicissimum illud nuntium, eandem, volente Numine, Christi Matrem futuram.

Visō, auditōque nuntiō erubuit primū, timuit, & turbata est Virgo: at cùm intelligeret matrem se fore simul, & Virginem, timorem posuit, annuit Imperio, meruitque,

tu

ut eo temporis momentō divinus
Spiritus ex purissimo Virginis san-
guine Jesu cōpusculum formaret.

Urbs, in qua tum Virgo degebat,
Nazareth fuit; domus Annæ & Jo-
achim; conclave, in quo orationi,
meditationi, cæterisque pietatis
operibus Virgo vacavit; dies, ut ex
Luca Evangelista desumitur, vige-
sima quinta mensis Martij.

Subinde inusitatō prodigiō sacra-
tam hanc domum cœlum orna-
vit; è Galilæa primū in forum
Julium Anno 1692. mox in Italiam
angelicis humeris translata est, ac
reposita in sylva illustris fœminæ,
Lauretæ nomine, ubi hodie dum si-
ta Domus Lauretana appellatur.

Festi hujus originem debemus
Apostolis, à quibus, si Bonifacio
credimus, festivo cultu, rituque co-
li cæptum est. Non defunt de hoc
luculenta testimonia Gregorij
Thaumaturgi, qui circa Annum
Christi 230. maximis virtutibus &
miraculis orbem illustravit. La-

Labentibus annis per varia regna
hæc celebritas propagata est , Ma-
rianis clientibus Matris suæ cultum
strenuè promoventibus, quos inter
præprimis eluxit S. Raymundus
tum Barcellonæ in Catalaunia Ca-
nonicus , qui anniversaria celebri-
tate coli hunc diem fecit An. Chri-
sti MCC. amplissimis redditibus in
finem suppeditatis.

In quibusdam Ecclesiis aliquam-
diu celebratur 18. Dec. ut colligi-
tur ex Concilio Laodicensi , & To-
letano X. at S. Ildefonsus rursum
transtulit ad 25. Martij , scilicet il-
lum diem , quo à priscis jam inde
temporibus celebratum est , Augu-
stino teste , in acerbissimæ mortis
memoriam , quam eo die humani
generis Salvator obiit.

Documenta , Cultus.

I. Deus misit Angelum ad Mariam
Virginem piam, humilem, & pudi-
cam. Pios nimirum, humiles & pu-
di-

dicos amat Deus : impiis, superbis,
& impuris resistit. An tu pius es,
humilis, & pudicus ? his tu virtuti-
bus tude : sine quibus nec Deo gra-
tus esse potes , nec hominibus.

II. Angelus venit ad Mariam
orationi intentam. Orantibus ad-
est Deus , & gratias elargitur suas.
In periculis , in temptationibus ad
Deum ora. Ora frequenter, ierven-
ter , cum spe , & fiducia. Sic orans
facilè impetrabis , quod oras.

III. Ad Angeli alloquium timu-
it Maria. Si loqui cum bono Ange-
lo Mariā timuit , an non tu meritò
auscultare timeas Angelo malo ?
vox mali angeli pravæ cogitatio-
nes sunt , quas identidem menti
tuæ suggerit. Has tu excute velut
scintillam urentem : vel momen-
tô his sponte immorari, fœdari est.

Hodie manè , dum surgis , & in-
dies per octavam horis singulis sa-
lutatione Angelicâ Mariam saluta.
Visita , si vacat , facellum Laureta-
num ,

num, & Litanias Lauretanis recita, item 9. Pater & Ave in memo-
9. mensium, quibus Christus in
utero B. V. delituit. Rosarium so-
lito devotius ora.

Denique iterum te in filium,
servum, & mancipium B. Virgini
dedicabis.

Oratio S. Augustini.

O Beata Maria! quis tibi dignè
valeat justa gratiarum, ac lau-
dum præconia rependere; quæ sin-
gulari tuo assensu, mundo succur-
risti perditο? quas tibi laudes fra-
gilitas humani generis persolvat;
quæ solō tuō commericō recupe-
randi cœli aditum invenisti? accipe
itaque quascunque, meritis tuis
impares, gratiarum actiones; &
cūm susceperis vota, culpas nostras
orando excusa. Admitte nostras
preces intra Sacrarium exauditio-
nis; & reporta nobis antidotum re-
con-

conciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile; quod fidâ mente poscimus. Accipe quod offerimus; redona, quod rogamus, excusa, quod timemus: quia tu es spes unica peccatorum; per te speramus veniam delictorum; & in te, Beatissima, nostrorum est expectatio prœmiorum. Sancta Maria! succurre miseris; juva pusilanimis; refove flebiles; ora pro populo; interveni pro clero; intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen; quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem. Assiste parata votis poscentium; & repende omnibus optatum effetum. Sint tibi studia, assiduè orare pro populo Dei; quæ meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi: qui vivit, & regnat in sæcula, sæculorum, Amen.

Fe-

Festum Visitationis Mariæ.

II. Julij.

Mysterium, Origo Festi.

MYsterium, cuius hodie memoria recolitur, est sancta illa visitatio, qua Maria, relicta tantisper urbe Nazareth, festinavit ad montana Iudeæ, & confectis ferè octoginta passuum millibus visitavit cognatam suam Elisabeth.

Vix domum Zachariæ Virgo subiit, vix dicta salute gravidam Elisabetham amplexa est, & continuò in utero Matris Joannes exultat, à culpa liberatur originaria, Spiritu S. repletur Elisabeth, &, ut omnia prodigiis agerentur, Zacharias etiam perditæ vocis usum recipit, & futura præcidit.

Dici non potest, quantâ hæc inter lætitiam Virgo exultaverit? quantâ Elisabeth? utriusque gaudium tantum fuit: ut suavissimis lachrymis

mis colliqueicerent. His piis la-
hrymis pios cantus Maria addidit:
nam ut Dei in se munificentiam
pro viribus extolleret, augustissi-
mum illud carmen insonuit: Ma-
gnificat anima mea Dominum, &c.

Tremestre spatium in domo Za-
chariæ Maria exegit. Ancilla nul-
la sic servit Dominae, ut illa servivit
Elisabeth. Tempus omne impen-
dit cognatae obsequiis, commodis,
solatiis, quibus cum Elisabeth am-
plius non egeret, domum unde ve-
nit, Maria repetiit.

Hæc festivitas Urbano VI. Papæ
suam debet originem. Hic, ut te-
stis est Baronius, circa annum 1385.
author extitit-ut Mariæ Elisabethæ
visitantis memoria festivo ritu age-
retur.

Quod piè, sancteque ab Urbano
constitutum est, non multò pòst
pari autho:itate firmavit Papa Bo-
nifacius IX. fecitque anno Chr.
1389. ut hæc nova in Virginem pie-
tas

tas latius per Christianum orbem se se diffunderet.

Instituendæ Festivitatis causa fu-
it dissidium ex electione Urbani VI.
inter Cardinales exortum. Horum
alii adhæsere Urbano, alij Clementi
VII. Anti-Papæ. Invocata Deipara
dissidium sustulit; & continuò in
tanti beneficij memoriam, & tesse-
ram grati animi, hujus festi cele-
britas est instituta.

Documenta , Cultus.

I. Maria visitavit Elisabeth, ma-
tronam omnibus virtutibus conspic-
cuam. Tales oportet esse amicos,
quos tu visitas. Visitandi sunt, ex
quorum consuetudine melior eva-
das. Fugiendi sunt, qui à Divinis
abstrahunt, & indolis sunt liberio-
ris. Citiùs te isti malum, quàm il-
los tu bonos efficies.

II. Ad visitandam Elisabeth cha-
ritas & urbanitas Mariam impulē-
re Utinam non alio tu sine aliena-
zdes subcas! non promiscuè quævis
do-

domus adeunda est ; magna hic tibi
autelâ opus. Qui temerè aliena
lmina terunt ; multis peccandi pe-
ricalis se obiciunt.

III. Maria , & Elisabeth sermo-
nes de Deo miscuêre. Tui cum aliis
sermones súntne ejusmodi ? nun-
quid asperguntur jocis fordidis ,
verbis indecentibus , aut noxiis fa-
mæ alienæ ; pone custodiam ori tuo ,
& si tibi loquendum est , ea loque-
re quæ Deo non displicant , & pro-
ximos ædificant.

Hodie , & per octavam Canticum
Magnificat , Sanctissimæ Virginis
labiis distinctum recita. Visita Ec-
clesiam aut facellum B. V. sacrum ,
& ora Deiparam , ut visitationes ami-
corum cum fructu obeas. Vide ,
quales hactenus visitationes tuæ
fuerint , an Christianæ , an inutiles ,
aut cum peccandi periculo conju-
ctæ ? ama honorum , fuge pravorum
confortia . Poterit visitari ægro-
tus , afflictus , aut aliquis carcere de-
ten-

tentus, & his exhiberi opus misericordiæ corporalis vel spiritualis.

Oratio. S. Ephrem,

PEr te, ô Domina, sumus reconciliati cum JESU Christo Deo meo ; & tuo filio ; per te , inquam , quæ es adjutrix desertorum. tu , ô Virgo purissima , es meus securus portus, & ego ab infantia mea fui, & sum sub tua protectione. Esto mihi pia & misericors , qui multis peccatis offendit Deum Creatorem meum & Judicem. Ne glorietur contra me dæmon, invoco auxilium tuum , ô Mater sanctissima , lachrymabundis oculis ad pedes tuos prostratus humillimè rogo, ut apud tuum dulcem filium pro me intercedas , ne me propter peccata mea à se abjicit , & tanquam infructuosam arborem exscindat , & in flamas mittat ; sed me in paradisū transferat, ubi nec planctus est, nec mors, sed gaudium sempiternum.

Fec-

Festum Purificationis.

MARIÆ.

II. Februarij.

Mysterium, Origo Festi.

Dies, quem annuâ hodie memoriâ recolimus, ille dies est, quo Virgo purissima templum Hierosolymitanum ingressa utramque legē implevit, sive illam, quæ post quadraginta à partu dies purgari puerperam, sive illam, quæ primogenitum præsentari in templo, Deoque offerri jussit.

Hac Gemina lege, quoniam & Virgo, & Deipara fuit, minimè quidem Maria tenebatur: obtempavit tamen, & non modò Jesum Primogenitum Deo consecravit, verùm etiam, quamvis purissima, purgari voluit, geminis turturibus pro se, & filio oblatis.

Utrique legi non jussa, non coacta se Virgo submisit: subjecit

L

spon-

spontè , obedivit libere , pulcherri-
mô mortalibus exemplô , quanta
animi alacritate divinis legibus pa-
rendum sit , & qua cura , & studio
corporis atque animæ puritas con-
servanda.

Quem singulari hæc dies lætitia
affecit , Simeon fuit , felix ille , ac
pius Senecio : qui , quod divinitùs
didicisset , non priùs moriturum se ,
quàm Jesum vidisset , eo viso ruit
in amplexus , stringit , adorat , fu-
turos Matris dolores prædictit , &
quasi vitam jamjam positurus , car-
men illud præ gaudio concinit :
*Nunc dimittis servum tuum Domine
in pace , &c.*

Virginis purificatæ cultus jam
inde ab anno Christi 255. apud
Christianos floruit , id , quod in ser-
mone suo Methodius memorat ea
tempestate Tyri Episcopus , & Mar-
tyrij laureâ insignitus .

Ut in occidente etiā festivo ri-
tu coleretur , author fuit Gelasius

I. Hic lupercalia februario mense Romana in urbe quot annis agi solita abrogavit, & Virgineæ purificationis festivitatem substituit anno Christi 469.

Initia hæc ampliora reddidit Justinianus Imperator: nam sæva lue Constantinopolim atrociter depulante, opem Virginis imploravit, qua impetrata curavit solicite, ut toto Romano Imperio Virginis purificatæ memoria festivâ celebritate ageretur anno Christi 544.

Documenta, Cultus.

I. Maria obtemperavit legi, qua non tenebatur. Quâ curâ tu observes præcepta Dei, & Ecclesiæ, vel moderatorum Iussa, quibus teneris? testare tuum in Deum amorem exactâ legum observantiâ. Non diligit Deum, qui legibus Dei non obtemperat.

II. Maria maluit immunda vi-

deri, quām legem prævaricari.
Disce obedire Dei præceptis, quam-
vis ideo hominibus displiceas. Est
certa nota servorum Dei, displice-
re hominibus propter Deum. Di-
gnus Deo non est, qui placere ho-
mini magis studet, quām Deo.

III. Maria servatæ legis fructum
tulit amplissimum: nam Simeon
eam coluit ut Dei Matrem, & mi-
ratus est Virginem. Non sinit se
vinci nostra liberalitate Deus. Pro
modico obsequio reddit centuplū.
Non time pati adversa amore Dei:
hæc fortiter tolerata solatum pa-
riunt, gratiam augent, & prœmia
cumulant.

Hac die animæ tuæ statum in-
spicies, perscrutando quibus maxi-
mè vitiis labores, qui mali habitus
in te sint? conaberis conscientiam
expurgare per actus contritionis, &
bonæ confessionis. Maximè verò
propone illud vitare peccatum, in
quod sæpiùs laberis, atque hoc pro-
posi-

positum quotidie per hanc octavam
in hoc norem B. V. renova. Præpri-
mis humilitatem B. V. per actus in-
ternos & externos imitari studeas.

Oretio S. Thomæ de Aquino.

ODulcissima, & Beatissima Virgo Maria, plena misericordia! ego committotuæ pietati animam, & corpus meum, & omnes cogitationes, desideria, verba, opera, vitam, & mortem meam. O Domina mea, adjuva me, & conforta contra infidias, & laqueos hostis antiqui. Impetra mihi, ô dulcissima Domina, veram, & perfectam charitatem, quâ ego toto corde amem dulcissimum, & dilectissimum filium tuum Dominum meum JESUM Christum, & post hunc te super omnia alia. Impetra mihi etiam charitatem cum proximo, ut illum in Deo, & per Deum amem; nec

ullum contemnam , aut temerariè judicem ; nec animo me supè aliquem extollam. O Regina mea , Mater , fac etiam præpotenti tua intercessione , ut in meo corde maneat semper amor , & timor tui ; ut Deum & te semper amem , & timeam ; & in amore Dei , & tui tenero perseverans , & per tuam intercessionem usque ad mortem à te inducar in paradisum.

Festum Assumptionis MARIÆ.

XV Augstii.

Mysterium , Origo Festi.

MEmoriam hodie agimus virginei obitūs, quo sanctissima Mariæ anima jam cœlo matura purissimum corpus reliquit , & plaudentibus Angelis , atque in occursum Reginæ suæ venientibus in cœlum assumpta est.

Hic gloriosus è terris ad superos tran-

transitus evenit ius vesperam ante X VIII. Calendas Septembris, anno à partu Christi septimô & quinquagesimô, à Christi obitu vigesimo tertio, ætatis suæ, ut certior est opinio, septuagesimô secundô.

Postquam missus de cœlo Gabriel ad suavissimam mortem virginem invitaverat, convenere toto orbe acciti Apostoli, & cum his Dionysius Areopagita, Hierotheus & Timotheus. Omnes morientis letulum circumstantes supremum vale amantissimæ Matri dixerunt.

Sublatâ in cœlos animâ mæstrom solabantur Apostoli virgineô corpusculô terris relictô: at non diu hoc solatio frui mæstos licuit: nam cùm paulò seriùs Thomas advenisset, & amissam matrem etiam mæstus in tumulo quæreret, præter linteal, tantithesauri nuper involucra, reperit nihil, luculentô indiciô: urissimum Mariæ corpus ad beatam animam jam avolasse.

Fe-

Festivitatis hujus initia non omnibus certa sunt; ea nonnull' rejiciunt post Concilium Ephesium: at si illustri Theologo Francisco Suarez habenda fides est, originem ab Apostolis trahunt, Marianæ Assumptionis diem singulari celebriitate colentibus.

Celebritatem hanc subinde auctiorem reddidit Leo Papa hujus nominis IV. hic jejunium præmitti festo, & continuos octo dies assumptionæ Virginis memoriam celebrari jussit circa annum Christi 847.

Peculiaris hic cultus in gratiani testimonium, & memoriam accepti beneficij Deiparæ decretus est; eum siquidem Leo Papa imperaverat, postquam imploratō Virginis patrocinio epidemica lues fuisset ab urbe propulsata.

Do-

Documenta , Cultus.

I. Mariæ anima è virgineo corpusculo egressa est sine dolore, sine timore, plena desideriō, ac fiduciā videndi Deum. An ita vivis, ut non sit, cur mori timeas? qualis est vita, talis erit mors tua. Rarò bene moritur, qui male vixit. Stude vivere innocenter, ac piè cum Maria, ut feliciter moriaris sub tutela Mariæ.

II. Mariæ anima occurrentibus, & plaudentibus Angelis cœlum ingressa est. An cœlum te ingressum putas, si hoc momento è vita migrares? quid illud? quod te inde excluderet. An non peccandi consuetudo, qua tamdiu es implicatus? æternū exulabis cœlō, nisi hanc tollas?

Mariæ animâ in cœlos assumptâ, eò etiam sublatum est virginem corpus. An corpus etiam tuum
olim

olim resurget ad gloriam? non resurget, si hic deliciis & voluptatibus indulgeas. Coercede sensus tuos, & carnem crucifige cum concupiscentiis, secus nec corpus, nec animam cœlo inferes.

Ardentissime hodie & per octavam Virginem Deiparam orabis, ut felicem ex hac vita transitum ad beatam æternitatem tibi impetret. Præterea singulis horis elice desiderium patriæ cœlestis, & piō affectu ingemisce: *Trabe me post te O sancta Mater.* Non enim habemus hic manentem civitatem sed supernam inquirimus, ubi Christus regnat, ubi æternū vivet, & pro fidelibus suis clientibus intercedit Regina cœlorum. Ama igitur, qui cœlo asseri cupis. Ama Matrem tuam, continua tuum amorem, & qui suspiras æternū cum illa esse in cœlo, cum eadem frequens sis in Conventu Mariano.


Ora.

Oratio Guarriici Abbatis.

O Mater misericordiæ, saturare gloriâ filij tui, & dimitte reliquias tuas parvulis tuis. Tu jam ad mensam Domini; nos sub mensa catelli. Sicut oculi ancillæ in manib's Dominæ suæ, ita familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ communicavimus in mensa præsentium Sacramentorum; per te euandem fructum vitæ communice-
mus in mensa perennium gaudi-
diorum, JEsum benedictum
fructum ventris tui.

A M E N.

F I N I S.



Ohio Geologic Appendix

ЗАЧИСЛЕНИЯ



